ORATIO DE PACANDA ET COMPONENDA REPVBLICA AD BELGAS,

IN QVA MALORVM PVBLICORVM tum præteritorum, tum præsentium & futurorum, præsentem patriæ ruinam minitantium causæ veræ cum veris eorundem remedijs bona fide, & quasi digito, demonstrantur

À BALEO CARFENNA HYLANDRO.



Esaie 52.

Quàm speciosi sunt super montes pedes euangelizantis pacem, prædicantis bona, euangelizantis salutem, dicentis Sioni: Regnat Deus tuus, &c.

ANNO 1578.



ORATIO DE PACANDA ET COMPONENDA REPUBLIGA AD BELGAS,

In qua malorum publicorum, tum præteritorum, tum præsentium & futurorum, præsentem patriæ ruinam minitantium causæ veræ cum veris eorundem remedijs bona fide, & quasi digito demonstrantur.



NEMO quidem nostrũ non videt, aut ullo modo dubitandum existimat, inclyti Belgę, quin maximarum ac propè infinitarũ cladium nostrarum, quas velut agmine quodam perpetuo, & spatio annorum plusquàm duodecém, funestissimũ hoc bellum civile nobis invexit, & in posterum ira divina denunciat, causa sint peccata nostra, quibus ad iustam vindictã Deum nostrum provocavimus: Quæ tamen illa sint, quàmque invisa Deo peccata, quoniam paucissimi nunc vel opinionũ errore atque ignorãtia, vel pervicacia, atque aduersus verbera divina contumacia, satis probè perpendunt, hinc est, quòd in tot tantisque malis publicis vera calamitatum remedia non modò nondum inventa, sed nec requisita quidem publicè, nec tentata sint hactenus.

Sicut autem in ægro affectoque corpore non alius demum verus morborum atque symptomatum medicus fuerit, quàm qui causas

&c originem eorum recte deprehenderit commonstraveritque, ita & quassatã, contusam, confractamque motibus bellorum civilium rempublicam melius nemo pacaverit, curaverit ac sanaverit, quam qui ipsa malorum principia rite perspecta bona fide detexerit.

Cæterùm quæ ad hunc vsque diem á nobis admota ægrę Reipublicæ remedia sunt, his non solum nihil mitigati, sed contrà magis exacerbati dolores fuêre: ut non minus mirũ videri possit, si talibus pharmacis sanari mala nostra posse credamus, quàm si ad scopũ pervenire aberrando contendamus, & ruendo in voluntarium exitiũ nihilominùs salutẽ, cuius portũ subire recusemus, sperare audeamus. Vt aũt sisti tandẽ ruina nostra, & sanari vulnera, ac melior imposterũ vivendi via inveniri queat, consilium est mihi, priùs ipsam malorũ causam bona fide demõstrare: deinde curandi viam aperire, ad eamq; capescendã vos cohortari. Sed ante omnia rogandi, Belgę, atq; obtestandi mihi eritis, vt si fortè durior oratio insuetas aures vestras minus jucunda veritate pulsaverit, ne aliter animis afficiamini, quã suadẽt pericula in quibus versamur, neve salutaria cõsilia ideò repudietis, quòd fortè minùs blanda molliaq; prima fronte videãtur: cùm nõ sit ejusdem & jucunda & utilia in extremis malis consilia dare. Si tamen, quæ vestra prudentia est, pro dulcibus ea reputabitis, quæ Reipublicæ ac vobis universis salutis viam ostendent, optimè

mè mecum actum, omneque me tulisse punctũ putabo, si pro publica universorum salute, qualicunque etiam eventu meo, laborãdo beneque monendo profuisse me vobis, & promovisse gloriam Dei regnumq; Christi intellexero. Quod quò commodiùs posim, & illud vos rogabo, ut ab omni specie externa sevocatis in publicã salutem auribus atque animis, non quis ego & quos alloquar, sed quid, & cuius nomine imperioque dicturus sim, etiam atque etiam mecum consideretis.

Vt ergo ad rem veniam, quia extra controversiam est, & non nisi cęcis profeßisq; Dei, patriæ, omnisque honesti hostibus contemtoribusque ignotum, peccata nostra, publicaque scelera pœnarum quoque publicarum causas esse: nec illud magnoperè ambigi puto, nos in utramque diuinæ legis tabulam graviter deliquisse, hoc est totam legem violando, & Deum ipsum & homines non leviter offendisse, ideò non immorabor huic loco. Hoc autem posito fundamento, videamus deinceps, qua potißimùm re Deum, qua item homines læserimus.

Constat autẽ cùm totius & Propheticæ Apostolicæque doctrinæ concordibus testimonijs, tum & historiæ sacræ consentiẽtibus exemplis, non alia re magis, quàm idololatria, violari debitam Deo obedientiam, ejusque justam iram & vindictã in homines accendi. Porrò idolum tum coli dico, quoties veneratione divina ado-

ratur obſervaturque, quod natura Deus nõ eſt:
homo ſit illud an angelus, aliúdve quantumvis
nobile opus manuũ Dei licet. Præterea idolum
colitur, quoties non ſolùm fictitium numen
pro ipſo Deo ſubijcitur adorandum, verumetiã
Deut.6. cùm aut colitur quidem Deus, ſed nõ ſolus: aut
32. ſolus quidem colitur, ſed non eo, quem ipſe prę-
Marc.7. cepit, cultu: aut cum contemto verbo Dei ac ſa-
Deut.4. lutari doctrina, peſtiferæ lacunæ, peregrinæ do-
& 12. ctrinæ & hominum decreta ſacroſanctis ac ſalu
Leuit.10 tiferis euangelij fontibus admiſcentur. Tametſi
enim Deus totius legis obſervationem verámq;
præceptorum omnium obedientiã poſtulat, &
violationẽ cujuslibet partis ſeverè punit, tamen
eam præcipuè legis partẽ religioſè nobis ſeruan
dam tradidit, qua præcipua & totius legis prin-
ceps pars, hoc eſt, ipſius adorandę Maieſtatis cul
tus continetur, quæque ideò ad gloriam cul-
tumque divinum propriè pertinet: ejúsque tam
profanatores quàm violatores, ceu divinę Maje-
ſtatis ſuæ perduelles, ſeveriſsimè vel cum clade
atque internecione univerſarũ urbium, gentiũ,
populorum & regnorum proſequitur: Atque hac
de cauſa ſtatim ab initio promulgatę legis inter
ipſa capita prioris tabulæ, cùm ſe Deum fortem
Exo.20. & gloriæ ſuæ *zeloten* appellaſſet, omniúque i-
dololatriæ ſpecie verbis graviſsimis populo ſuo
interdixiſſet, mox ſubdit, ſe nominis ac Majeſta
tis ſuæ profanationẽ in tertiam quartámque au-
thorum ſtirpem vindicaturum.

Sic

Sic & apud Esaiam prophetam iterum ac sępius inculcat, se gloriam suam alteri non daturum, nec laudem sculptilibus, eò quòd ipse primus sit & novissimus, hoc est, verus solúsque Deus, conditor creatorque cœli ac terræ. Ideóque puniturum se perditurumque populum rebellem ac verbi sui contemtorem severè denunciat. Christus quoque ipse futuræ mox Iudæorum ruinæ præcipuam solámque causam imminutę majestatis Dei, & spreti repudiatique Messiæ atque euangelij impium crimen commemorat. Paulus ob ingratitudinem neglectumque cultum Dei, quem ex mundi creatione cognoverant, gentes à Deo abiectas, suisque cupiditatibus ac perversæ menti ita traditas affirmat, vt cœcæ in omne deinceps nefas sese præcipitaverint. Sed quia hæc & similia testimonia in Scripturis volenti legere sacra Biblia nusquã non obvia sunt, omissis illis, percurramus & exempla quædã vindictæ divinæ in contemtores verbi Dei & Idololatras edita.

Esai. 42 & 48.

Mat. 24 Marc. 13 Luc. 11.

Rom. 1.

Vt autem hìc ridiculum illum Aaronis & Israëlitarum in Arabiæ desertis erectum vitulum præteream, qui certè funestus populo fuit: ut non dicam de summa ejusdem populi in Deum ingratitudine, qua per annos quadraginta continuos Deum exercuit, & se promissæ Chananææ possessione indignum reddidit: ut non commemorem totam Iudicum historiam, ubi præsens semper vindicta recens

Exo. 32.

Num. 14 Psal. 95.

Iudic. 2. &c.

apostasiæ crimen excepit, nota est Eliæ prophetæ ad Achabum Regem seditionis ac turbarum crimen à se commissum ipsi objectante, responsio : Non ego (inquit) Israëlem turbo, sed tu & domus patris tui, qui deseruistis præcepta Domini, & sequuti estis Baales. Dedit itaque mox & ipse Achab cum suis impietatis & in divinas admonitiones contumaciæ meritas pœnas. Nota & Hieroboami, Iorami, Ochosiæ, similiumque Regum historia. Et ne singulos persequar, notus, inquam, est tristissimus vtriusque populi, tam Israëlitici quàm Iudaici exitus, qui propter depositam beneficiorum Dei gratam memoriā, desertumq; cultum ipsius ab Assyrijs Chaldeisque sepiùs bello petitus ac repetitus, tandemq; victus, ac proprijs sedibus expulsus, spoliato eversoque templo, quod impietate sua profanaverat, in miserabile ac diuturnum exsilium abductus est: adeò ut repetita conduplicataque gemini exsilij atq; exitij clade penè ad *panolethriā* sit redactus. Sed omnium notissima, & ad omnem memoriam nobilissima, tam urbis Hierosolymitanæ, quàm totius gentis sub Tito Vespasiano facta expugnatio eversioque. Nam post longam calamitosi belli moram, post infinitas cædes, ac urbium agrorumque vastationes obsessa, expugnata, & solo æquata Hierosolyma, templum quoque ipsum spoliatum exustumq; est, totusque populus pecudum in morem partim fœdè contrucidatus ac mactatus, partim vilissimo

1 Reg. 18

1 Reg. 22

2 Re. 24 & 25.

Ioseph. libro 7. belli Iudaici

lissimo contemtissimoque precio in perpetuam & miserabilem servitutem addictus abductusq; fuit. Vt mirari meritò quis possit, cur eum populum, quem mira benignitate præ cęteris dilectũ, in Abrahamo adoptatũ, cultui & gloriæ suæ, ceu peculium sibi Deus elegerat, quem plurimis beneficijs, miraculis, victorijsque ornaverat, in quo per tot sęcula Ecclesiam suam ac fœdus conservaverat, ad quem denique unigenitũ filium miserat Christum & redemtorem, tam gravi exemplo, tamq; ineluctabili exitio perdere sustinuerit. Sed tantam ultionem merebatur spreti numinis, neglectę religionis, & erectæ idolomanię impietas. Hoc ergo unum est maximumque scelus, quod quia propriè in ipsam Dei summam Majestatem committitur, non potest aliá, quàm summam ultimamque pœnam commereri.

Accedit alterum vicinũ cognatumque huic, nempe crudelitas in Vates Dei, piósque doctores, qui impijs cultibus adversantur. Est enim hoc omnium idololatrarum ingenium, ut quam stulté atque extra verbum Dei sunt amplexi superstitionẽ, eam cõtra verbũ Dei furiosè crudeliterq; tuendã existiment. Huc enim semper spectarunt sanguinaria tyrannorũ edicta, ut quam approbare ratione divinitus doctis non poterát, terrore suppliciorũ in animis hominũ munirét idolorũ suorũ venerationẽ, & si qui meliora consilia sequuti morem non gererent, è medio tollerent. Ideò Nebuchadnesar Babylonius erectã

Dan. 3. ingentis molis idolum edicto colendum omnibus præcipit: recusantem Danielem cum socijs in fornacem ardentem conijcit.

Dan. 6. Darius quoque eundem Danielem ob contemtum impij edicti laniandũ immitissimis leo-
1 Reg. 18. nibus obijcit. Achabus & Iezabel superstitionẽ idolorum crudelitate ac cæde prophetarum Dei consecrandam sibi putaverunt.

Ioachimus rex Vriam Semeium impietatem regis & populi castigantem, & ni resipiscerent, exitium regni atque urbis denunciantẽ occidit,
Iere. 26 teste Ieremia. Ipse quoque Ieremias vates reprehensæ idololatriæ à populo & Ioachimo Sedechiaque regibus & tota sacerdotum caterva pessimã inijt gratiã. Assuerus Persarũ rex con-
Ester. 3. silijs impij Amanis impulsus, & stimulis idololatriæ suæ subactus, odio veri cultus Dei adeò sævijt, ut extorrem gentem Israëliticã & per regna sua dispersam propter professionẽ veræ religionis uno edicto trucidare universam constituerit.

Antiochus Epiphanes devictis Iudæis occupa-
2 Mac. 7 tãque Hierosolyma, studiũ idolorũ & odiũ legis divinæ immani sævitia adversus omnẽ ætatem, sexum ac professionem promiscuè exercuit.

Mat. 25. Sed & ipsi Iudęi, corrupta iam fœdè religione, teste Christo domino, missos divinitùs prophe-
Mat. 27 tãs pari truculẽtia, qua gentes impiæ, morte mul-
Marc. 15 ctarunt: tandemq; & ipsum Christum dominũ,
Luc. 23. spem saluteq́ue suam, per tot secula promissum
Ioan. 19. atque expectatũ, finem scopumq́ue legis ac pro-

pheta-

phetarum, odio veræ doctrinæ atq; æmulatione inveterati erroris, nulla non injuria probroq; affectum in crucē egerunt: non minùs stolidè quā impiè unicum pacis ac salutis vitæque authorē perdere, quā non retinere receptā superstitionē malentes. Idem furor Iudæorū Ioannem, Iacobū, Stephanū aliosq; Apostolos, atq; ipsos adeò, postquā Christi innotuit ortus, infantes Bethlehemiticos perculit. Quòd si cui porrò libet cognoscere, quo furore sævitiaque ab idololatris, jam inde ab ipsis Ecclesiæ Christi incunabulis, impij cultus defensi, veraque euangelij doctrina repudiata sit semper, pulsis, cæsis, jugulatis, mersis, exustis, ac ferarum rictu laceratis doctoribus ac professoribus, evolvat ecclesię historias: & videbit luce ipsa meridiana clariùs, eundē esse, qui semper post orbem hunc conditum fuit, & falsæ doctrinæ authorē, & cędiū immanissimarum in martyres Christi patratorē spiritū. Neque enim potest non verissimum esse veritatis ipsius Christi hac de re testimoniū, qui requirentibus ipsum ad necem Iudæis, verissime compēdiosissiméq; respondens hæc duo unico planè in versu conjunxit, et: Quia nō potestis, inquit, audire sermonem meū, vos è patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, è proprijs loquitur: quia mendax est, & pater mendacij, &cet.

Matth. 2

Hæc

Hæc ergo duo præcipua ſunt, & ſibi mutuò cognata idololatrarum peccata, idolorũ cultus, cum Dei contemtu, & crudelitas adverſus pios fidósque Miniſtros ac Prophetas Dei, adeò inviſa Deo, ut eorum atrocitate irritatus, & urbes & gentes integras ſæpè graviſsimè afflixerit ac perdiderit: & tandem ſuũ illum ex omnibus populis ſelectum, præque omnibus dilectum, & in Abrahamo, Iſaaco ac Iacobo electum adoptatúmque populum, crebris incommodis, cladibus exſilijsque exercitum, ac poſtremò juſto judicio damnatum, percuſſumque affectata cæcitate, furore ac væſania horrenda, cum internecione totius gentis ac penè nominis Iudaici cum ipſo patriæ ſolo everterit: & qui cædibus ſuperfuêre, extorres ſedibus patrijs, ceu miſerabilia mancipia Romanorum aliarúmque gentium, in hunc uſque diem, nobile per tot ſecula divinæ in idololatras iræ ſint documentũ. Hic ergo Iudaicæ impietatis, crudelitatis & contumaciæ exitus fuit.

Sed videamus, an & nos Belgæ his tantis malis obnoxij, calamitates ac miſerias, quibus nunc multos annos conflictamur, miseréque involvimus, & quas in futurum nobis minatur Dominus, horundem peccatorum nomine potiſsimũ, ut pœnas, ſuſtineamus. Equidem ut facilè conceſſero id, quod deflere etiam cogor, eum apud nos hodie vitiorum omnium proventum, eam flagitiorum omne genus ubertatem, & (ut ita

dicam) fœcundam quandam messem scelerum esse, ut judicatu perquàm difficile sit parum exercitatis, quænam potissimùm, & an universa simul malorum nostrorum bellorum, seditionum morumque perditissimorũ fontes & causæ sint: ita affirmare, atque etiam sanctè adjurare non dubitem, contemtum numinis cultumque idolorum, & grassantem hactenus apud nos per infinitas piorum hominum cædes crudelitatẽ nostram, tam reliquorum vitiorum ac flagitiorum, quàm pœnarum, turbarum, motuum, seditionũ, ac civilium discordiarũ, bellorumque funestissimorum fontes uberrimos, ceu pyxidem Pandoræ extitisse. Et meritò quidem justóque vindictæ cœlestis judicio. Solet enim neglectum sui desertumque cultũ ita ulcisci Dominus, testante Paulo, ut desertos à se, qui vitæ ac boni universi fons est, deditósque impijs cupiditatibus, ut reproba mente suapte natura in quævis flagitia ruant præcipites: donec confecta scelerum periodo, in ultimas se pœnarum suarum pœnas ipsi demergant, funditúsque perdant idololatrę. Rom. 1.

Quid ergo? dicat forsitan aliquis: An tu nobis vel Ethnicorum deorum, vel etiam Iudaicorum idolorum cultum obijcies? Ecquem nos Martem impium, aut Iovem Olympium, Lapidemve juravimus unquã? Quam nos Matrem deûm, aut Venerem Cypriam, aut Dianam Ephesiam venerati sumus? An non Christi à Iudæis repudiati cultores fidi sumus, cui templa dedicavimus,

mus, ac divinos honores in hunc usq; diem magna veneratione deferimus? Cujus aras quotidianis hostijs pro vivis ac defunctis religiosè imbuimus? Nónne ad ejus sepulchrum, crucem & reliquias magna religione ex traditione majorũ, non absque summis rei, vitæ, liberorum & conjugum periculis, per maria ac terras adorabundi concurrimus? Quid? an nõ & sanctis ipsius Apostolis & martyribus templa cœlestesq; honores pari, qua ipsi Christo reverentia & cultu, infinitisque propè ceremonijs cõsecravimus? & si qui hæretica audacia cõtra hæc vel mutire sunt ausi, hos magno zelo ex authoritate Apostolica castigavimus? Vbi ergo ille, quẽ nobis improperas, idolorũ cultus? Vbi numinis contemtus? Vbi sęvitia in prophetas ac martyres Christi? Dicam, quòd dicturus veni, non quidẽ aut contẽdendi, aut reprehendendi libidine, sed tantùm monendi aut plagis nostris medendi studio, & mei insuper, qui Christo in fidelem hanc militiam nomẽ dedi, muneris ratione, pióque promovendi inter nos regni Christi desiderio ac zelo. Dicam ergo, clarissimi Belgæ, faventibus vobis, quod sentio, & quod res est, quódque tacere nefas ac summũ impiæ desertionis crimen existimo.

Et primùm quidem omnium non nego, quin omnia ista, & plura etiam istis, perquàm studiosè fecerimus. Addo etiam, si hoc est rite Deum colere, Christóque Domino & Servatori nostro bona fide servire, debitumque cultum atque glo-

riam tribuere, quod injùſſu ipſius contráque ea
nonem fidei ſumtuoſas inſanásque baſilicas tam
in hominum defunctorum, quàm Dei ipſius ho
norem exſtruximus: quod ad adorádas crucis di
vorumq́ue tanto jam antè mortuorũ reliquias
capſis ſepulchrorũ erutas inque pompam produ
ctas tanto æſtu concurrimus, easq́ue pari, & ma
jore etiam, quàm Deum ipſum, honore venerati
ſumus: quódque eos, qui nos è ſcriptura, hoc eſt,
ex ipſo ore Dei meliora docuerunt, & currere
nobiſcum ad adoranda opera manuum noſtra-
rum noluerũt, ſtrénuè jugulavimus: hoc, inquã,
ſi rectè ac piè numen eſt colere, non poſſumus
non religioſiſsimi videri, omnemq́ue pietatis im
plevisse cumulum exiſtimari.

Verùm ſi illud demũ veræ pietatis minimæ-
q́ue adumbratæ religionis eſt munus, eum ſolũ *Deut. 6.*
Deum agnoſcere & colere, qui ſolus eſt Deus ve *Matt. 4.*
rus, eóque cultu ſolo, quem ſolum ipſe requirit,
excluſo omni inventitio cultu ac peregrina do-
ctrina mortalis hominis: hæc ipſa, nimirum, *Marc. 7.*
erunt, quæ in modò dicto cultu reprehendenda
veniunt, quæque turbarum omnium ac tumul-
tuum cladiumq́ue publicarũ veriſsimas cauſas
& principia eſſe, & futura porrò ruinæ dolorũ-
q́ue noſtrorum initia, niſi nos ad ſe convertat, &
peſtem imminentem clementer avertat beni-
gniſsimus Deus, non ſine cauſa metuimus. Atq;
hunc metum ut pium eſſe non dubitamus, ita
non fore vanum mox oſtendemus.

Nam-

Námque hoc modo quot divos adoravimus, totidem deos fecimus: quot ossa hominum vita functorum, quot reliquias ac statuas ad cultum produximus, totidem idola contra Deum ereximus: quot sacrificos, missas ac sacrificia pro vivis & mortuis fecimus, tot Christos, summos æter-
Heb.5.6 nósque Pontifices ordinis Melchizedechici ad
7.9.&c æternam unici Pontificis Christi injuriam, perennisque sacrificij mortis ipsius contumelia fabricati sumus. Semper enim illud retinendum,
Deut.6. ut unus est Deus, ita adorandos plures non esse: ut unus Christus *Mesites* Dei & hominū, Ponti-
1 Tim.2. fex perpetuus, qui unica corporis sui hostia pro
Hebr. 9. cunctis mundi peccatis in perpetuum satisfecit, ita novos quotidie sacerdotes instituere, qui nullo non die infinitis per orbē sacrificijs tam pro mortuorum quàm vivorum delictis Deo idem illud corpus Christi, quo semel in æternum litavit ipse, sacrificent in victimam, sine probro ac ludibrio æterni sacerdotij Christi, fas non esse. Docet enim Scriptura, unica hostia Christi non solùm typica illa Leviticorum sacerdotum sacrificia impleta abrogatáque esse: verùm addit etiam, nullam ampliùs hostiam pro peccatis reliquam esse. Aut igitur unus esse Deus, unus inter Deum hominésque *Mesites* homo Christus, una litatoria pro mundi peccatis hostia esse desinet: aut nos colendo plures, & requirendo alias victimas & sacerdotes, verissimos esse, & numeris omnibus absolutos Idololatras plùs quàm

manifestisſimũ eſt. Neque ad rem facit, quòd nec Oſiridem Iſidemque, nec Iovem Iunonemve, nec Martem aut Venerem, neque ex obſoleta gentilium Iudaicorumque deaſtrorum turba, ac cœli denique ipſius ſplendidiſsimo exercitu quemquã hodie divinis honoribus atque altaribus noſtris dignamur. Illud enim in confeſſo eſt, nos verum illum, qui nos & omnia condidit è nihilo, Deum, & verum illum, ſolum ſummũque Pontificẽ, qui pro omnibus unica litatoria corporis ſui hoſtia litavit, Chriſtũ cum Spiritu-Sancto non piè colere: quia neque ſolum neq; ex ipſius præſcripto colimus. Vbi autem Deus non adoratur ſolus, nil refert, quemlibet ei ſocium, quodlibet idolum ex univerſis operibus manuum ejus ipſi adjungas: ſint hæc vel angeli rerum omnium creatarum nobiliſsimi præſtantiſsimíque licet. Apoc. 22 Sive enim pro Deo, ſive cum Deo, aut præter Deum numẽ aliud quodvis fictitium venerentur, ſpoliari Deum ſuis inſignibus ſemper neceſſe eſt, ad quoſcunque ea demũ vel ſocios, vel æmulos, vel miniſtros transferamus.

Atque hîc profectò futiles ſunt & frivolæ rationes ſuperſtitionis noſtræ de meritis hominũ quantumvis ſanctorum, neque ſanè unquã hac dibapho ſtrumam idolomaniæ noſtræ contegemus. Divini enim honores non meriti ſunt, ſed naturę, nõ dignitatis, ſed majeſtatis, non operę,

ſed gloriæ. Deinde quid hominum merita cœlo reponimus? qui ſi ſunt homines, certè dij non ſunt: ſi Adami poſteritas, peccato ſuo mortem nobiſcum, at meritò Chriſti veniam, juſticiam atque immortalitatem fide & gratia ſunt conſequuti. Omnes enim ex æquo homines ſub peccato ac morte concluſos Deus tenuit, tenetque, ut omniũ miſereatur: utque omnis juſticiæ, miſericordiæ meritíque gloria non inter Deum homineſque diviſa, ſed apud ſolum Deum in ſolidum remaneat illibata. Quòd ſi verò, teſte Paulo, ne Abrahamus quidem ipſe credentiũ omniũ pater, ac verum vivumq́ fidei exemplar habet, quod glorietur, niſi de merito juſticiæ Chriſti, ac gratiæ Dei Patris, quonam merito Deos facimus ipſius poſteros, quorum ut quiſque optimus integerrimúsque fuit, ita ſe in peccatis conceptum natumq́ue, ſub peccato venditũ, injuſtum mortíque addictum, ab una Dei clementia meritóque Chriſti omnẽ ſalutis & vitæ æternæ immortalitatiſque ſpem exſpectare confirmat? Atque hoc eſt, quòd Paulum, poſtquàm hoc ipſum argumentum Romanis ex profeſſo inculcaſſet, in hanc exclamationem ac deplorationem ſui prorumpere coëgit: Miſerum me, quis me liberabit ab hoc corpore morti addicto? Nec miſeriæ ſuæ ulla alia, quàm divinæ miſericordiæ meritíque Chriſti conſolatione ipſe mox occurrit: Gratias, inquiens, ago Deo per

Galat. 3. Rom. 11. Rom. 4. Pſal. 51. Rom. 7. Galat. 3. Rom. 7.

Iesum Christum Dominum nostrum, & cęt.

Cùm ergo universæ miseriæ suæ mortísqz ęternæ in ipsis hominibus quantumvis excellentib⁹ resideat causa, quā ipsi in se non tantùm agnoscunt, sed & deplorant, & contrà in mera liberalitate Dei Patris ac merito Iesu Christi omnis spes ac fiducia salutis, quā ubique ut magnificis, ita veris tamen encomijs deprædicant, facessat atque evanescat vanissima miserorum homuncionum gloriola, & stulta Deóque & Christo injuria meritorum humanorum præsumtio & cavillatio, quæ solidam, ut conditi, ita redemti hominis, reparatíque orbis laudem, divinitatis majestatísque gloriam constare Deo non patitur.

Iam si quis mihi vitilitigator objectet, sanctos Christi Apostolos ac Martyres, si minùs proprio, at saltem Christi merito, Patrisque bonitate in eum dignitatis gradum evectos, ut coli, invocari atque adorari unà cum Deo & Christo Domino Spirituque Sancto debeant: cùm filij sint hæredésque Dei, fratres & cohæredes Christi, ideóque omnium bonorum & thesaurorum cœlestium participes per Christum, hic, licet per me, amet mireturque bellum inventum suum. Vt tamen ei quàm modestissimè respondeam, commentum quidem paulò subtilius ac furtum ingeniosius, quàm fuêre hactenus crassa illa & vulgo quoque suspecta

congruitatum, condignitatum & supererogationum deliramenta potiùs, quàm commenta. Sed commentum cerebri sui quò subtilius, hoc nocentius in Dei injuriam invenisse eum dico. Amet ergo suum illud, quo bellum Deo giganteum denuntiat, bellum argumentum, risore potiùs majestatis, quàm scrutatore veritatis dignum. Si enim idcircò Dei gloriam communicari servis ipsius fingunt oportere, quòd filij, quòd hæredes sint Dei, quisnā obsecro, piorum omnium non posthac Deus erit? Omnes enim electi, inque Christo adoptati, filij sunt & heredes Dei, fratres & cohæredes Christi. Totidem ergo dij erunt, † quot terra corpora ac cœlo animæ fidelium tenebuntur. Quòd si fraudi esse Deo liberalitatē suam æquum putamus: & quia nos ex hostibus heredes, ex alienis filios, ex miseris beatos ultrò reddidit, ideò redigendū in ordinem & subijciendum regulis Iurisconsultorum credimus, (apud quos hæreditas est successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit) quid obstat, quo minùs (secundum hos argumentatores cum ipso Christo cohærede nostro familiæ herciscundæ judicio experiamur communē hæreditatem tam diu jam occupante, ut planè usucepisse videatur? Quidni & cum Deo patre nostro de dote matris alijsque juribus nostris, quæ pari sanè æquitate, qua Majestatem divinitatémque, nobis vindicabimus,

mus, ſummo jure contendimus, ipſumque cœlo deturbamus?

Sed ſuſpicamur fortè id, quod res eſt, parùm nobis in viribus & jure præſidij forè adverſus eum, qui armipotens dominus exercituum, qui jus & juſtitia ipſe eſt, quique juri judicijsque legitimis præſidet. Ergo vel furtis, ſacrilegijs alijsque malarum artium ac ſophiſmatum cuniculis agendum, vel adjuvandæ viribus artes, & Gigantea manus ipſi cœlo admovenda erit, ſi quidem potiri ſpolijs opimis volumus.

Verùm ignoſcite, quæſo, generoſi Belgæ, ſi quid jocoſiùs in re maximè ſeria, quàm pro veſtra gravitate atque argumenti dignitate loquutus ſum. Non enim vobis, ſed cavillatoribus hæc reponenda duxi.

Quanquam utinam nos cum patribus noſtris diram hanc veréque giganteã fabulam, cujus modò meminimus, adverſus Dominũ Deum noſtrum, contraque fidelium prophetarũ atque martyrum ipſius ſanctiſsimum exercitum non tam verè luſiſſemus ipſi, atque expreſsiſſemus. Sed de hac querela ſuo loco videbimus. Nunc ad propoſitam objectionem paucis reſpondendum eſt.

Hæredes ergo & filios omnes gratuitò non meritò ſibi, & cohæredes Chriſto unigenito ſuo electos ſuos Deus æternus æterno teſtamento ſuo fecit, fateor. Ergo & magnificos illos dono-

 rum

rum thesauros per Adamũ deperditos, & per Iesum Christum recuperatos largè ac liberaliter in eosdem effundit: cujusmodi sunt remissio peccatorum, justicia, innocentia, vita & immortalitas, quibus ab initio ad imaginem Dei conditi donatique fuerant. Intereà Deus æternus, cujus
Hebr. 10 æternũ testamentũ morte Christi juxta carnẽ semel confirmatũ, jam nõ ampliùs morte, sed vita testatoris Dei ratum est, semper ea sibi reservat, quę ne ipsi quidẽ Adamo dederat, & sine quibus
Esa. 42. & 48. Deus esse & conditor rerum omnium minimè poterat: divinam essentiam ac naturam dico, omnipotentiam, infinitatem, majestatem, aliàque soli naturæ gloriæque Dei competentia. At hominibus ad amissam imaginẽ regenitis, adoptione filijs, ministerio servis, ut vitam & justiciã creator dederit, ipsam tamẽ naturã rerum creatarum non ademit, sicuti ne ipsis quidem omniũ operum suorum nobilissimis præstantissimisq;
Rom. 8. Psalm. 8 angelis. Omnia autem ea dona filijs dedit liberalissimus pater, quæ ad ostendendam benignitatem suam dare decreverat, quibusque imaginem patris sui Dei referentes quodammodo similes essent, non pares Deo. Et, ut paucis omnia complectar, gratiam salutis hominibus, non gloriam Deitatis: vitam æternam, non naturam divinam: dignitatem, non Deitatem: innocentiam, non omnipotentiam: immortalitatem, non majestatẽ largitus est Deus.

Hæc

Hæc enim Dei naturę propria, ista gratiæ, benignitatis, liberalitatis & insignis in hominũ genus amoris illius dona sunt.

Porrò ut nunquàm non verum est, unum esse verum Deum, Patrem nempè omnipotentem, creatorem cœli ac terræ, angelorum & hominum, omniumque rerum hujus universitatis: unum item Christum Iesum paris cum Patre na- 1. Tim. 2
turæ ac majestatis: item unum Spiritum Sanctum procedentem ab utroque: atque ita in tribus *hypostasesin homousiois* unum, nõ plures deos: ita semper vera immutabilisque voluntas Dei Iacob. 1.
erit, quam verbo suo nobis pro unica vitæ nostræ cultusque sui regula sanctè observandam dedit: Nõ habebis Deos alienos. Ego sum Deus Exo. 20.
tuus, fortis zelotes. Item: Honorem meum alteri non dabo, & ce. Quod cùm ita sit, non potest gloria sua spoliatus Deus non indignissimè ferre, gravissiméque vindicare injuriam suam, atq; imminutæ contemtæque divinæ majestatis suæ contumeliam. Non enim minùs vera est comminationum, quàm promissionum ejus veritas.

Accedit, quòd ne ipsis quidem beatis Dei cultoribus, si sentiant, & prohibere à se idolomaniã nostram queant, blasphemi hi cultus, à quibus, Act. 10.
dum viverent, abhorrere se ingenti zelo testati sunt, ullo modo placere possunt. Nam & ipsi beati Angeli, quia in colendo adorandóque Apoc. 22
 solo

ſolo Deo conſervos ſe noſtros eſſe agnoſcunt, adorari à nobis recuſant. Duplici ergo piaculo nos obſtringimus, quoties videlicet immani ſacrilegio & Deum debito cultu privamus, & ſanctos Dei miniſtros, qui ſunt vaſa electionis & miſericordiæ divinæ, quantũ quidẽ in nobis eſt, ex veris gratiæ juſticiæque imaginibus ficta fallaciaque idola, zeli, furoris atque indignationis divinę organa facimus. Cùm autem & Deum perduellionis læſæque majeſtatis crimine in noſtra ſupplicia provocemus, & beatis ipſius miniſtris, qui gloriam Deo, non ſibi, tribuentes voluntati illius & miniſterio ſuo perpetuò addicti ſunt, ſurreptæ atque uſurpatæ gloriæ ac majeſtatis ſupremæ ſacrilegiũ irrogemus, apparet nos Iudęorum rebellium & gentiũ profanarum potiùs ſuperaſſe, quàm non æquaſſe ſuperſtitionem.

Vt enim nihil dicam de Iudæis, illæ quidem certè ut inexcuſabili ingratitudine & ereptæ laudis crimine verè Deum offendebant, eaque impietate gratiam ejus amittebant, ita dæmones heroáſque ſuos, quos alienis exuvijs ornabant, placare ac demulcere vel fictitio cultu, ideóque ad ipſos receptum habere qualemqualem videbantur. At nos, ut dixi, ingeminato errore, dum & ipſum Deum rebellionis, & numina noſtra exprobrati immaniſsimi ſacrilegij deteſtando probro perinde offendimus, neutris utique grati,

ſed

ſed utriſque pariter inviſi ſumus. Illi cùm præter ea, quæ ex mundi opificio didicerant, nihil de Deo ejusq́ʒ cultu certò ſtatuere poſſent, Solem, Lunam, & lucentem illum, nitidum ſplendidũq́ue cœli exercitum. & principes item ſuos, medicos legumque latores opinione meritorũ virtutumq́ue ſtulta quadam gratitudine inter deos referebãt. Nos autem, quibus de cultu ſuo Deus per prophetas & apoſtolos, perq́ue filium unigenitum abũdè teſtatus eſt, relictis apud nos ęterni teſtamenti ſui tabulis, non contenti ficta hominum merita repoſuiſſe cœlo, & extuliſſe homuncionem & vermem terrę ſupra Deum creatorem in omnia ſecula benedictum, deſcendimus etiam eodem vanitatis œſtro in ipſa terræ viſcera: & læſa Chriſtianę erga mortuos pietatis & legis divinæ naturæque regula, quæ condi nõ erui ſepulchris oſſa piorum hominũ jubent, pulveres, cineres atque oſſa mortuorum, nequicquã reclamante Deo, ratione & natura è monimentis ad publicam pompam ac venerationem produximus. Deut. 34 & c. Ioan. 15. & c.

Verſa deindè, ut aſſolet, in quæſtum religione, vel potiùs in avaritiam ac nundinationem ſuperſtitione, ne qua ſpecies impietatis deſiderari in nobis poſſet, adeò quælibet ſepulchra caco dæmonum in more perreptavimus, ut per ſpeciem religionis non ſolùm ſine delectu quævis cadavera è pulveribus effoderimus, ſed & com-

plura unius divi corpora (rem prodigio similem) invenerimus. Et cùm huic tam felici negociationi neque modus neque pudor adhiberetur ab harum merciũ ebuccinatoribus, & credula multitudo nullum non reciperet, quamvis absonũ, crassum seque ipsum vel commemoratione sola evertens delirium, invenit mendax & impunis impudentia, quod nusquam exstabat. Multa itaque præpucia Christi diversis locis culta. Multa crucis ligna. Clavi penè innumerabiles. Lac virginis Marię, quod lactẽti Christo superfuisse, & stupendo miraculo conservatum per tot secula perdurasse perhibent, in una provincia Hispania tantum, quantũ vix vacca quæpiam fœcundissima è media Batavia multo tempore mulctori dederit: siquidem, quod ubique colitur, oppidatim colligatur. Corpora Petri aliorumque divorum adeò multa (prout jam non amplius superstitio, sed libido atque avaritia nundinatorum pudendum ac detestandum quæstum in miserum vulgus exercentium suasit) ut ex hac multitudine etiã inter celebres civitates, apud quas hi thesauri ad lucrum prostabant, (cùm plura uno corpora unus divus habuisse vix videretur) ridicula nonnunquam certamina de veritate rei confictę (nusquam enim est, quod est ubique) sint nata. Inde nimirũ exstitit tritum illud quidem prudentiorum risu, quibus jam tum nares esse cœperant, sed tamen e vulgi istorum tem-

porum fœcibus haustum, scomma. Tres magos in Colonia totidem esse crassos rusticos ex Vestphalia.

Quisnã obsecro vel Iudaicus, vel Ægyptius, vel Chaldaicus, vel quilibet alius ex densissimis illis antiquę ignorantię tenebris unquã populus pari stoliditate idola coluit? Nam quid dicam de commentitijs Christophori, Barbaræ, Catharinæ, ac nescio quorum non tutelariũ, larium, larvarum, lemurum ac templariorum Priaporum, ut falsissimis, sic fœdissimis numinibus, quorum plærorumque ne ipsa quidem archętypa unquã magis in rerum natura fuêre, quàm fabulosa illa poëtarum Chimera, aut Cerberus, aut Hippocentaurus? Quid de indulgentijs venalibus & similibus idolomaniæ nostræ instrumentis querar? Nam de indulgentijs utrum pauca, an nihil potiùs dicam (quoniam argumento vix multa sufficerent) plane dubito. Certè horum cauponatio impudentissima atque imposturę improbissimæ effecerunt, ut malè audiat Christiana religio inter Turcas aliosque fidei hostes, & ludibrio sit extraneis venerandum nomen Christi & euangelij.

Verùm ego, qui non amplificandi neque exagitandi traducendive, sed tantũ ostendendi communis periculi monstrandæque ad salutem viæ ergo dicenda hæc suscepi, non statui ad vivum omnia resecando, acerbiùs duriusque vulnera

nostra

nostra refricare quã dolor patitur. Sed ea tamen cùm longa dissimulatione ad putredinem jam planè venerint, & cicatricem adeò lęthalem obduxerint, ut non Chironiam aut Apollineã, sed vere divinam ejus manum desiderent, qui quævis mala nostra solus sanare & potest & vult, modò nos & morbum & medicum agnoscamus, aperienda saltem erant: ut in quo hæremus, periculi magnitudinẽ videntes, dum ultimo exitio nostro à cervicibus amoliendo, quantulumcũq; spei ac spacij adhuc superest, celerem medicinã sedulò serióque requiramus. Dico igitur invitus, quòd tacere mihi per nostra pericula jam præsentia non licet, nostram circa idola insaniam adeò conspicuam omnibus populis esse, tamque altè latéque per omnes terræ cœlique regiones extulisse caput, ut non modò hostibus nostris & extraneis contemtui probróque sacrosanctam religionem exposuerimus, verumetiã ridere cogantur ipsimet crudelissimi mangones nostri & sepulchrales dæmones, quibus opprobria divini nominis & errores nostros miseriamque & mortem Ecclesię Christi non magis quęstui, quàm ostentui fuisse certum est. Id enim testantur, & propè clamant cùm alia multa planè mimica & scemica, ne dicam obscœna, fabularum nugarumque figmenta ac pigmenta, tum insignia illa missarum, indulgentiarum aliarumque quisquiliarum, quibus nostrã inscitiam scitissimè,

tiſsimè negociati ſunt huc uſque, elogia atque programmata. Ex quibus unum tantùm (ſexcenta enim ſunt, vel potiùs ſex millia, ſi conſectanda oppidatim ac templatim ſingula eſſent) ne longus ſim, adducam. Id exſtat Biturigibus inſcriptum aræ Cardinalis in æde D. Stephani in hæc verba, ut ea retulit doctiſſ. vir Martinus Chemnicius, &c.

In exam. Concilij Trid. de Indulgẽtijs.

Hic des devote, cœleſtibus aſſocio te.
Mentes ægrotæ per munera ſint tibi lotæ.
Ergo venitote gentes de ſede remota.
Qui datis, eſtote certi de divite dote.
Te precor, accelera, ſpergas hic, dũ potes, æra:
Et ſic revera ſecurè cœlica ſpera.
O ſi tu ſcires, quantum data proſit tibi res.
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te, miſer, à pœna, dum tempus habes, aliena.
Vt tibi ſit pœnæ venia, ſit aperta crumena.
Conſors cœleſtis fabricæ, qui porrigit, eſt is.
Ex hoc ſum teſtis, vos hic mundare poteſtis.
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde.
Nam pro mercede, Chriſto dices, mihi cede.
Hîc datur exponi paradyſus venditioni.
Currant ergo boni rapientes culmina throni.
Vis retinere forũ? mihi tendas pauca obolorũ,
Pro ſumma quorũ reſerabitur aula polorũ.
Hîc ſi largè des, in cœlo ſit tua ſedes.
Qui ſerit hîc parcè, parcè comprẽdit in arce.

Quid tardas? tantùm nummi mihi des aliquantum.
Pro solo nũmo gaudebis in æthere summo.
& cætera.

Hoc nimirum ex plurimis unum est planéque prostitutis dignũ mercibus præconium indulgentiarum, insigne profectò ad posteros documentum efficaciæ erroris & illusionis diaboli in homines verbi divini desertores. Nam quid dicam de frigidissimis, insulsissimis impudentissimisque Francisci, Dominici & similium fabulis ad missas, indulgentias, ac purgatorium confirmandum excogitatis? An risum hîc tenuisse suaves istos aruspices, & putidissimorum nugamentorum artifices nostros credemus, cùm hæc plùs quàm anilium ac præficalium næniarum deliramenta non modò persuadenda suis temporibus, sed & pro fidei Christianæ capitibus illinenda chartis, insculpenda marmoribus, ac tradenda posteris putaverunt? Risit certè quisquis modò citati programmatis author fuit, in quo, ut carminis insulsitatẽ non reprehendam (oportet enim juxta proverbia, quemadmodum patella operculum, sic & mercibus dignũ esse preconium, & similes habere labra lactucas) totidem haud dubiè putidissima impudẽtissimaq; mendacia, & impiæ in Deum blasphemiæ, quot verba sunt.

2 Thes. 2

De vanissima, crassissima, frigidissima, immò gelidissima purgatorij fabula nihil amplius dicam, quàm unum illud ex arcano ipsorum architectorum cribro ac tripode. Statuunt isti purgatorium unà cum seculorum omnium decursu finem quoque habiturum. Eum cùm ad unam annorum myriada duraturum non putent, tamen ultra centum myriadas annorum extendunt supputantque indulgentias suas, quibus ab incendio, flammis fumisque purgatorij sui nos liberant, & arcas nostras magis quàm animas purgant. Tam probè, scilicet, convenit indulgentiarijs nostris indulgentissima ratio cum calculo. Tam scitè didicerunt arithmeticam.

O lepidos profectò ac centum myriadibus calculorum dignos calculatores. Adeóne simul & vestri obliti estis & proverbij: Mendacem esse memorem oportere? Adeò nunquam credidistis, vos artis & calculorum vestrorum rationem reddituros? Sed aperuit, mihi credite, jam diu oculos bona pars orbis Christiani, claraque in luce videt, & simul ridet fallacem istam quidem, sed nimium diu felicem vobis arithmemeticam vestram. Nunc ergo tenemus consilium vestrum, & simul, quanti nobis atque orbi Christiano arithmetica ista constiterit hactenus, quippe quæ vos ditavit, orbem expilavit, Ecclesiam avariciæ libidinique vestræ mancipavit.

Sed

Sed nec dum habemus omnia. Siquidem deprehensi in tam manifesta verborum pugna inconstátiaque doctrinæ, effugium ex jure suo inveniunt, &: Abundás, inquiũt, cautela nõ nocet. Iam demũ soricẽ indicio suo captum habemus. Illud nimirum dicere, vel saltẽ innuere nobis volunt, se illos ipsos esse, de quibus jam tanto antè Dauid prædixerat: Dixit impius in corde suo: Non est Deus, &: Devorant populum meum, ut escam panis, & Petrus: Venturos illusores abnegantes Christum, blasphemantes viam veritatis, qui fictis sermonib⁹ nos sint negotiaturi per avaritiam. O planè miseram temporum, vel hominum veriùs ignorantiam: O vim erroris non sua natura, sed judicio Dei efficacem. Etenim si vel isti reddendam sibi unquam rationẽ quęstuosissimæ hujus negociationis putassent: vel nos, qui tam fœdè negociari nos passi sumus, saltem homines, atque ipsis brutis non magis bruti fuissemus, nunquã hæc tam crassa, & nunc ipsis quoque pueris ridicula deliria vel authorem apud nos invenissent, vel fidem.

Quid sit ergo & nostram stoliditatẽ naso suspendere, & divinam majestatem, ac merita mortis & sacrificij Christi summo cum ludibrio traducere, non video, si hoc non est. Vt non immeritò quis suspicetur, tales buccinatores non tam ad turpem quæstum faciendum emissos, quàm ad irridendam suggillandamque religionem à

professis Religionis hostibus immissos & conductos esse. Equidem quotiescunque crassos, deliros, pueriles, vel potiùs aniles has nugas, & ridicula superstitionum crepitacula, quibus jam pridem euangelij splendor offecit, & sonora vox Dei silentium imperavit, mecum nunc reputo, & ad errores meos jam verbi Dei luce monstratos abjectósque, ceu ad turpissimum fœtidissimumque vomitum, cum nausea respicio, miror hujus perversissimi spiritus subtilitatémne dicam, an confidentiam, planéque, vtrum magis mirer, vix scio, persuaseritne tam absurda cordatis & Christianis, an suadere ausus fuerit.

Sed me dubitantem alia ex parte confirmat scriptura, quæ non tam subtilitati spirituum, quã affectatæ nostræ cæcitati atque *heterodidascaliæ* acceptam cœlestis doctrinæ, quæ sola lucerna pedum nostrorum est, ignorantiã refert. Ita enim Apostolus: Quoniam veritatis amorem non receperunt, misit illis Deus efficaciam illusionis, ut crederent mendacio.

Quia verò ad hunc locum delatus sum, non abs re videtur, si hîc paululũ immorer, & quando tantis deceptionibus occasioné quidem dederunt stulta æmulatio paganismi, ex cujus ruderibus & ruinis deliria nostra fabricati sumus: causam verò neglectũ projectumque studium verbi ac veritatis divinæ, de utroque conjunctim paucula his addenda duxi. Enimverò majores

res nostri ad exercitium pietatis magis sanè promti, quàm cauti, cùm ex vetere illa idolorum, cui assueverant, quamque penitùs imbiberát, superstitione recens, quasi è profundo mortiferoque sopore experrecti, religionē Christianam à Romanis ac vicinis non qua par fuerat, simplicitate ac puritate didicissent, ne pietatis exercitijs concedere paganis viderentur, ceremonias non paucas relictæ superstitionis retinuerunt.

Deinde acceptum à Romanis episcopis qualémcunque Christianismum ritibus quoque ex eorundē traditione (jam tum enim credendi leges Romani cæteris Ecclesijs dare cœperant) nō ex verbo Dei desumtis variè miscuerunt. Et nequid in nostris sacris desideraret oculi & aures, manus & nares, lingua & palatum, minórve, quā olim fuerat, splendor minùs augustam religionē redderet, pro dijs, dæmonibus & heroibus gentium culti adoratique fuêre apostoli, martyres, alijque pij jam vita functi homines, quos divorū honore, thure & sacrificijs mutata veriùs, quàm abrogata, superstitio dignata est.

Cúmque jam semper inconsulto ore Dei ritibus ritus & erroribus errores sine fine ac modo cumularétur, ac novi quotidiè divi, accensa æmulatione, ambitione atque avaritia miseræ hominum credulitati, & invito reluctantique cœlo obtruderentur, ventum tandem est in hanc religionis profanationem ac vastitatem, ut quasi

obrutus deorum turba Christus vix rarò nominetur, neque ampliùs cum Patre ac Spiritu Sancto imperet, sed tanquam unus in turba, & suo gradu dejectus, ipsemet imperium divæ virginis facessere cogatur, juxta dictum: Ora patrem, jube gnatum. Agnoscitis enim, ni fallor, notissimam blasphemiã, quam tamen inter splendidissimos planeque divinos titulos Reginę cœli, advocatæ & spei nostræ virgini vel invitæ ingerimus.

Intereà verbum Dei, ne qua unquam assurgendi & ex tanta cœcitatis voragine emergendi atque eluctandi spes esset, primum (uti diximus) contemtum, deinde peregrinarum doctrinarum permistione infectum adulteratumque, postremò e manibus & commercio hominum, (dũm ejus interpretatione populis Christianis interdictum fuit) sublatum est, adeóque profunda oblivione sepultum, ut non modo nullum exstaret apud populum (laicos appellãt) sacrorum librorum exemplum, sed nec temerè apud ipsos sacrificos, ut minorum gentium deos, aliquod latinum volumen reperiretur. Quę autem sola remãserat clero qualis qualis illa Latina versio, vix apud Põtifices nostros & præcipuos istos scolarum vertices, qui mysteriũ suum etiã Pauli temporib⁹ cœptum summo studio peragebant, nec ad illud penitiùs cognoscendum quamlibet suem, juxta parœmiam, facilè admittebant.

Intereà populo miserè fascinato, ne nihil omninò de Deo sciret, frustula quædam latinę translationis (Latina tamen & illa) parca planéque novercali manu dabantur: sed non sine rosario, horario harario que fabularum Circes poculo: Iamque prorsus per ista thesaurus carbones erant: & totum propè Christianum orbem sublata cum lucerna vitæ etiam mente hominum infectoque fonte vitæ in haram suam cōcluserat immanissima Circe. Eratque jam hoc modo miserrima Ecclesiæ facies, cui præter nomen ipsum Christianum vix quicquam solidi remanserat, quærendusque in ipso Christianismo Christianismus videbatur: donec iterum Deus infinitæ bonitatis suę divitib⁹ thesauris per Germaniam, Angliam, Galliam, aliásque nationes liberaliter effusis, tandem & nos divinæ gratiæ suæ donis ac rore aspergere cœpit. Magna sunt ergo hęc & mirabilia judicia Dei vindicantis majestatis suæ contemtum: sed nec injusta nec inusitata, uti exempla suprà posita nos docere potuerunt: ut novum non sit nec iniquum, si verbi sui fastidium in nobis quoque tam densis ignorantię tenebris ulciscatur Dominus, nosque lucem cœlestis doctrinæ ferre recusantes fumis & caligine abyssi infernalis affectatis involvat, suffocet enecétque.

Sed ne cui videar hunc verbi divini contemtum plus justo exagitare, agite, ô inclyti Belgæ,

audiamus paulisper, si placet, quibus quámque honorificis elogijs ac titulis sacras literas hoc est ipsum sacrosanctū os Dei, patroni & coryphæi propugnatores idololatriæ nostrę hactenus insignierint. Nam ut plausibili aliquo titulo somnia sua & hominum inventa scripturæ primùm apponerent, deinde & prę ponerent, tum etiam supponerēt substituerentque, finxerunt eam mutilam, imperfectam, obscuram, ambiguam, plurimis contrarijs pugnātibusq́ue locis perplexam, atque instar nasi cerei ac regulæ Lesbiæ, (hæc sunt ipsorum verba) pro cujusque libidine in quamvis partem flexibilem esse.

Negarunt quoque hoc consilio ab Apostolis conscriptam, ut esset norma, fundamentum, thesaurus ac *plerophoria* fidei vitæque nostrę, sed tantùm commentarius quidam brevis in usum nō totius Ecclesiæ catholicæ, sed solùm privatarum quarundam Ecclesiarum, quasi tumultuario opere, & è re nata conscriptus, cujus omnis authoritas non ab ipso, sed ab Ecclesiæ catholicæ, hoc est, suo judicio pendeat. Ideóque certitudinem doctrinæ fidei vitæque non tam à scriptura, quam ab ecclesiæ traditionibus accipiendam esse. Neque defuère Centimani quidam audacissimi & Cerberei nostri temporis theologastri, qui ore impurissimo planeque obscœno sacrosanctam prophetarum & apostolorum doctrinā contumelioso indignóque nomine euan-

gelium nigrum & theologiam atramentariam publicis libris corã toto orbe appellare sunt ausi.

Quin etiã ipsi summi nostri Pontifices quanti scripta sacrorum bibliorũ fecerint, cùm omni vita omnes, tum & voce quidam testati sunt. Horum unus, cujus nomini & vertici, ut sacro, parcam in pręsentia, cùm euangelij historiam, ut fabulam, damnasset, & Petri Paulique erronum & mendicorum (has etenim voces media inter pocula è cœno, non scrinio sacrati saturatique pectoris & stomachi epulis vinóque gravati eructabat crapula, non Pontifex) in Italiam adventum exsecrandis convitijs deplorasset, monitus à quibusdam, ut sui Pontificatus meminisse vellet, cum amarulenta irrisione (sed non nisi repetita conduplicatáque blasphemia cõtumelię prioris) fassus est tandem errorem. Hae enim sola mercede sibi gratã esse fabulã Iesu Christi, quòd ipsius vicarius esset. Alius cùm ob caponem non sat lautè coctum, in coquum destomacharetur, à quodã magni nominis viro, ne ultra modum sæviret, interpellatus, cum crapula eructavit & abominandam hanc vocem: Cùm Deus ipse ob unum pomum totum orbem perdiderit, an me irasci vetabis coquo, qui integrum mihi caponem perdidit? Vno virulento blasphemoque sarcasmo universam sacrosanctæ historiæ authoritatem sceleratissimè derisit ac proculcavit.

Sed

Sed non eruam omnia Pontificum arcana. Habeant hoc sibi jure quodã suo peculiare pontificales dapes, ut ore impuro & blasphemo contra Deum contraquã Christum ejus sese extollant, & Scripturæ dignitatem suaviter ac petulanter irrideant. Apoc. 13. 2 Thes. 2

Interim unum illud prætereundum non putavi, de doctoribus & propugnatoribus harum blasphemiarũ, quorum nonnulli adeò omnem pudorem cum pudicitia pietatéque perdiderũt, ut dum canonis, sacerdotij & sacrificij missatici impietatem sibi tuendam & commendandã magnificis rhetoricę suæ coloribus sumserunt, non vereantur inter alias & has blasphemias in Deũ evomere. Sacerdos est creator sui creatoris. Item Qui creavit me sine me, jam creatur mediante me. Vnde nata est illa ridicula simul & blasphema sacrificulorum gloriola, qui se virginis Deiparæ felicitatem hac in parte longè superasse jactant quòd illa conceperit quidẽ, sed semel tantùm conceperit ac pepererit creatorẽ & redemtorẽ suũ: ipsi aũt quotidiè & quotiens sacrificãt, sola mysticarũ quinque vocularũ pronunciatione enthusiastica creatorem creent, tractent, jactent & mactent, & denique nihil non de eo faciant. Quæ prodigiosa Lupercorũ nostrorũ fœcunditas, si quidẽ vera narrãt, non virginis tantũ, sed & ipsius Dei Patris omnipotentiã ac beatitudinem haud exiguo intervallo post se relinquit. Breviar. Parisinũ excusũm per Odin Petit.

 Deus

Deus enim, qui ab æterno filium unicum, & nõ plures genuit, ut sit ipse cum Filio & Spiritu Sancto solus omnipotens creator & redemtor facere alios creatores non magis, quam perdere seipsum potest. At hi nostri

Cecropiam soliti baptæ lassare Cotytto, jam
Talia secreta celebrarunt orgia tæda,

ut minimo negocio non solũ quidlibet ex quolibet, verumetiam, sicuti Deus ipse creata omnia è nihilo fecit, ita & hi creatorẽ ipsum e fermento suo, hoc est, ex re planè nihili, stupenda & profectò incredibili potentia creare queant. Itaque secũdum istos videri possunt homines jam diu paria cum Deo (ne interim majora dicam, quoniam mens inesse hisce Centauris desijt pridem) fecisse, & omninò vicem cœlitibus rependisse tot creatis brevi tempore creatoribus, quot ne ipse quidem creator unquam homines istorũ similes Cyclopas creavit.

Nunc ergo his authoribus veridicum esse desijt os Dei Creatoris, quod negat ullos alios esse Deos, ullasque quamvis insignes res creatas, quę admirandorum operum ipsius excellentiam exprimere ullo modo possint: planeq; necesse est, ut tu, ô summa rerum æternaque potestas, aut cedas rerum gubernaculis tantæ parium Deorũ multitudini: aut, si hic est (ut est) fundus, & hoc mysterium iniquitatis nostræ, vibrando tandem fulmina tua manu vindice, & gigantes istos unà

gum universis, quos fecerût creatoribus & redemtoribus suis præcipitando, re ipsâ doceas, non impunè neque diu irrideri majestatem tuam, neque impias cœlo inferri manus posse. Ecce ergo mysterium impietatis, de quo tanto ante prædixit Apostolus, quodque observandum Ecclesiæ & Prophetæ, & Christus ipse premonuerunt. Psal. 16. 2. Thess. 2.

Fingantur autem jam omnes Turcæ, Saraceni, Iudæi ad subsannandam religionem Christi domini, conjuratione facta, simul prodire: quid, quæso, acerbiùs in eam comminisci queunt? Taceo reliquorum probra. Prætereo & ipsum canonem, cujus modò mentio est facta, quorum omnium impietatem si pro dignitate verbis exprimere atque ostendere cupiam, dies me citiùs quàm oratio aut argumentum destituat. Et vestra, sat scio, Belgæ, prudêtia facit, ut quia doctissimis libris sæpiùs hæc viri docti graphice nobis ob oculos posuerunt, stultus videatur repetitus toties ineptiarum labor.

Missas ergo has missas, nænias, superstitiones, blasphemias & monstra probrorum nunc facio: quippe quę, ut nimis pudenda, tractari totiès salva verecundia non possunt. Nam, juxta vulgare dictum: Scelera refutavit, qui revelavit, non qui contrectavit, aût retractavit. Summa enim huc redit: Authoritatem literarû divinarum aut nullam esse, aut ambiguam. Atque in hunc modum majestati oris Dei ac testamêto æterno Do

 mini

mini & magni Servatoris ac Dei Iesu Christi
Psal. 26. præpositæ oppositæque fuère doctrinæ dæmoniorum, fumi ac tenebrę abyssi obnubilantes solem justiciȩ atque aëra, traditiones ac deliria ecclesiȩ malignantium & derisorum, caudæ &
Apoc. 9. venena locustarum prodeuntium ex ore draconis.

Hoc ergo unum est pręcipuum peccatum nostrum, quod quia ne adhuc quidem, vel millies moniti, remittimus, sed contrà mordicùs defendendum putamus: ne miremur, si vindicem gloriæ suæ manum Dei nostri, & virgam ejus ferream contra nos etiamnum extentam sentire cogimur.

Nunc transeamus ad alterum, videamusque deinceps, quàm in ministros ac vates Iesu Christi, qui reducere nos in viam conati sunt, inclementer ac truculentè nos gesserimus. Ita enim constabit omnē nos veterū Ecclesiæ persequutorum patrum nostrorū mensurā accumulasse. Sed hæreo hìc planè, neque unde exordiar, neq; quà aut quô progrediar, satis expedio. Tantus enim sese hìc pandit campus, vel potiùs inexplicabilis labyrinthus, ut si nostræ crudelitatis exēpla hac in parte singulatim vel enumerare tantū velim, neque initium neque exitum sim habiturus. Itaque succumbere potiùs tanto oneri, quàm narrando extenuare fidem eorum decrevi, quæ vix fidem apud posteros nostros sunt invētura: quæ-
que

que nisi à nobis gesta essent, ne ipsi quidem narrantibus alijs credere velimus.

Tantum in universum vos meque ipsum monebo, ut si per hos quinquaginta annos tantum Christiani sanguinis hausimus odio renascentis Euangelij: quantum ne omnibus quidem retrò seculis patres nostri, quamlibet impij, tandem nos capiat pœnitudo, aut saltem lassitudo tanta laniena. Etenim nostræ crudelitati satis non fuit, eos qui in nomine Christi ardenti zelo gloriæ Dei & nostræ salutis ultrò ad docendum Euangelium se nobis obtulerunt, morte mulctare: sed & rapuimus è privato in publicum (constitutis ad hoc publicis Inquisitoribus, quadruplatoribus, facibus ac pestibus humani generis) promiscuè omnes, quotquot nobiscum ad eandem luxus & impietatis profusionem non concurrebant. 1. Pet. 4. Utque omnes sævitiæ numeros impleremus, in hac tam violenta, tam immani tamque barbarica truculentia, nec sexus, nec ætatis nec conditionis aut infirmitatis ulla habita est ratio. Abreptæ à nobis orantes in privato honestę matronæ, productæque in publicum spectaculum: & per carnificem vel flammis cõcrematæ, vel vivæ in terram defossæ sunt. Adeò & legum & humanitatis simul omnis obliti fuimus.

Præterea & senes decrepiti, homines cœci, claudi & imberbes juvenes ac pueri vixdum puber-

pubertatis annos ingressi puellęq́ʒ virgines unà cum matribus, & fœminæ uterum ferentes, jamque vicinæ partui unà cum fœtu, horrendum non solum visu, sed etiam dictu, aut in profluentem projectæ, mersæque, aut terrifico flammarũ incendio consumtę sunt: idque plærunque indicta causa, sineque ulla legitima doctrinæ investigatione aut forma judicij.

Posteaquàm deinde tetrũ illud axioma; cum hæreticis non esse disputandum, ab inquisitoribus receptum fuit tanquam per se notum, factũ est, ut sine ullo doctrinæ examine audita tantùm post accusatorem confessione doctrinæ, sola carnificis opera requireretur. Et cùm jam populus, partim quasi commiseratione quadam innocentium reorum, partim edoctus quodammodo de ipsa suppliciorum indignitate & causa, stomachari, mussitare, tandemq́ue & concitari cepit, itum est ad clandestinas & nocturnas innocentissimorum hominum lanienas: hoc est, ad publica impunitaque latrocinia sine ordine ac modo: in quibus idem ferè accusator, qui & judex & carnifex fuit. Quin etiam negatum sępissimè ereptumq́ue pijs martyribus id, quod uni cum ipsis in morte indignissima solatium esse debuerat, ut neque de doctrina & causa mortis, neque de sua innocentia ad populum verba facere possent. Quibusdam enim eorum, antequàm producerentur, inserta illigataque oribus

ligna,

ligna, injectæque pilæ, aut linguæ præſectæ, ne non modò de doctrina, ſed nec de rebus quidē domeſticis ultimaque voluntate ſua alloquendi populum aut propinquos facultas eſſet. Nonnullis etiam nobilioribus eadem de cauſa tubarum ac tympanorum ſtrepitu clangoreque, ad ludibrium non ſolùm reorum, ſed & populi, vox intercepta fuit. Taceo de fœditate, horrore & ſqualore carcerum, alijsque infinitis exquiſitiſſimorum tormentorum cruciatibus, quibus plurimi excarnificati ac mutilati, multi in ipſis carceribus inter manus carnificum contrucidati, nō pauci ita miſerandum in modum excruciati, torti tenſique, ut ad prodeundum, miſerè luxatis, diſtortis diſtractisque membris, vires non ſupereſſent. Taceo quoque de diris & horrendis immaniſsimorum ſuppliciorum exemplis & ſpectaculis, deque ſumma deformitate hærentium poſt mortem ad compita viarum in rotis, furcis, poſtibus ac patibulis corporum in eſcam fœdarum volucrum & ferarum. Horret enim animus, contremiſcunt artus, & concutitur totum mihi corpus vel ſola ac tacita commemoratione tam inhumanæ, & plus quàm barbaræ, vixque fidem apud exteros poſterosque noſtros habituræ feritatis noſtræ. Quid enim aut magis horrendū, aut tam incredibile videbitur, quàm Belgas gentem Germanicam, ingenio placidā, profeſsione Chriſtianam, non ſolùm vicinitate,

ſed & conſanguinitate, lingua, cōmercijs ac moribus Germanorum planè Germanam, oblitam innatæ moderationis (etiamſi maximè tam frequentibus ac diuturnis vicinorum commercijs de religione reſtituta nihil unquã didiciſſent) adverſus innocentiſsimos Chriſtianos, & ſua ipſorum viſcera ſæviendo, æmulari potiùs Hiſpanorum efferatã ſęvitiam rabiémque, quàm imitari Germanicam, hoc eſt, ſuam humanitatem ac moderationem maluiſſe?

Noſtra autem hæc ſunt, noſtra, inquam, ipſorum potiùs, quàm martyrum, ô Belgæ, ſunt hæc, quæ fecimus, vulnera: non ideò tantùm, quoniã in noſtros dolores ac pœnas acerbiſsimas emanabunt redundabúntque: verumetiã quia Chriſtiani in Chriſtianos, in Belgas Belgæ, inque proprium ſanguinem ac viſcera, ad propugnandam adverſus Deum malam cauſam, malè crudelitérque conſuluimus.

Eſſe autem quàm vera, tam etiam tetra atque immania, hæc, quæ dico, ſi ſapere vel ſerò tandẽ malis noſtris poſſumus, inter alia verbi divini & conſcientiæ noſtrę teſtimonia, ipſa quoque mordicùs à nobis defenſa hactenus idololatria (ut non excutiamus publicos rerum capitaliũ commentarios) omnimodo teſtari poteſt. Nam ſi, quos majores noſtri ſimili errore, tanquã mera piacula, planéque abortiva quędã mundi purgamenta, è medio ſuſtulerũt (apoſtolos ac marty-

tes Iesu Christi dico) eorũ nos ossa ac reliquias templis aris ac divinis honoribus colendos ducimus ideò, quoniá euangelium salutis nostræ & dulcissimam doctrinam novi fœdoris Iesu Christi nobis cum proprio periculo attulerunt, quonam tandé loco habendi erunt, qui prorsus eandem nobis doctrinam injuria quidem temporũ, vel potiùs nostra, vitiatam perditámque, sed sua fideli opera, non alio, quàm glorię Dei & publicę salutis, studio suis fontibus ac puritati restitutá, inque linguam nostram traductam (quod immani sacrilegio nobis ante ipsos inviderat Satá) denuò tanquàm post longum exsilium postliminio his nostris temporibus reduxerunt, quique in hanc sanctissimam curam gloriæ Dei & salutis nostrę honores ipsi suos, fortunas & vitam ipsam consumserunt.

Aut ergo ad amussim suam examinanda doctrina eorum fuit nobis, & ex collatione Scripturæ legitima demonstrandus error ac falsitas: aut, si id facere inopia causę non potuimus, sicuti huc usque certè conscientia malæ causæ (credo) ne tentavimus quidem, agnoscenda nobis erunt vulnera simul & scelera parricidiáque nostra, confitendumque nefariæ rebellionis in Deum, atque impij crudelisque simulachrorum cultus teterrimum crimen. Quòd si verò confessionem hanc nulla, nisi extremi judicij divini, necessitas exprimere contumaciæ

nostræ

nostrę poterit: testabitur tamen contra nos conscientia nostra, nosque terrificis facibus stimulisque suis persequi non cessabit, donec confecta rebellionis periodo nos sistat tremendo ejus judicio, cujus in oculis preciosa mors erit martyrum suorum. Testabitur & ipsa continuatæ jam in quinquaginta plùs minus annos tristissimæ lanienię deformitas. Ipsa denique dies ac sol hic splendidissimus tãtæ truculentię inspector diurnus, ac lunæ reliquorumque lucidissimorum astrorum cœlestium clarissimus exercitus cædiũ latrociniorumque nostrorum incorruptissimi testes nos accusabunt, simulque in lucem tanquã meridionalem producent innocentiam eorum, quorum nos innoxio sanguine & gladios carnificum fatigavimus, & maria ipsa tinximus, & flammas ignesque restinximus, & rivos, stagna, fluminaque nostra infecimus opplevimûsque.

Iam quid querar de numero trucidatorum? Numerari enim infinita qui possint? Vt autem infinita videãtur, quę sané quàm simillima sunt infinitis, nostra quoque crudelitas effecit, per nocturna clãdestinaque latrocinia assiduè grassando. Si tamen divinare per vos, atque simul ex commentarijs & memoria publica conijcere & conquirere licet aliquid, quod unum reliquum fecit inclementia, reperiemus, ni fallor, intra Belgicæ nostræ (ne quid de alijs dicam) quam libet angustos limites, intraque jam supradictum an-

norum

norum ſpacium, ob ſolam religionis profeſsionem, haud minorē centum (quibus tamen nonnulli dimidio plures addunt) millium trucidatorum numerum. O ſævitiam furoremq́ue horrendum atque incredibilem. Quis enim poſthac, pręter nos ipſos, credere aut animo concipere tam multa tamq́ue immitia crudelitatis exempla, à Belgis inq́ue Belgas, eaq́ue tam brevi ſpacio temporis ac loci edita, poterit? Carent enim omninò pari exemplo cunctæ omnium temporum ac tyrannorum hiſtoriæ. Quanquā ut miſerum hoc eſt in Belgis, ita mirum in Satana non eſt, ſuperaſſe ſævitiā omnium ætatum furore ac rabie noviſsimi temporis. Nam licèt idem ſic hic, qui etiam omnibus, poſt homines natos, temporibus irreconciliabili odio Eccleſiā perſequutus eſt, immitiſsimus draco ac ſerpens antiquus; tamen quia cogi nunc in anguſtias regni ac tyrannidis ſuæ terminos, ſeq́ue indies magis magisq́ue conſtringi in exiguum temporis ſpacium videt, in furorem ac rabiem jam vertit iram odiumq́ue Chriſti & Eccleſiæ: & quaſi trucidandis ſingulis jam laſſus leo, nil niſi compendia cędium requirit, ideóque nos quoque Belgas cum injuria naturę ingeniíque Belgici in extrema iſta tyrannidis exempla prorumpere, inque propria viſcera convertere rabiē atque arma noſtra manúſque furioſas compulit. *Apoc. 12*

Neque etiam nos excuſant Italorum, Hiſpa-

norum & maximè Gallorum similes, & fortè nō minoris infamiæ carnificinæ: dum illud in confesso est, nos & crudelissimorū idololatrarū esse socios, & sæviendo in proprium sanguinem, jam Belgas, immò homines esse desijsse: quos adeò non purgant aliorum scelera, ut etiam contaminent accusentque magis. Sicut enim non minùs perit, qui perit in turba, ita nihilo leviùs peccat, qui cùm vicinis peccat, quàm qui solus. Prętereà habeant sanè Galli vicini nostri, habeant & Hispani, gens ut olim tenax fidei ac studiosa veritatis euangelicæ, sic hodie superstitionis & crudelitatis infamia nobilis, trucidatorum martyrum, quæ volent, ornamenta: eáque furoribus ac parricidijs suis in ultimo judicij die prætendant, si possunt: Belgas profectò minimè omnium gentium oportuit tam longè recedere à natura moribúsque Germanicis, neque in obsequium Hispanicę barbariæ ac feritatis usqueadeò omnem humanitatis avitæ laudem projicere, ut veluti rabiosæ belluæ in nostrum ipsorū cruorem violentas manus atque arma verteremus: idque in tali causa, cujus deploratam esse conditionem, & maturū jam casum differri diu non posse, ne ipsi quidem ignorabamus. Nam ignotam nobis hac doctrinā prorsus fuisse, dicere nō possumus, præsertim cùm ab oriente quidē nō solùm vicinitate & commercijs, verumetiam morum, linguæ, imperij, affinitatum & sanguinis commu-

gione, assiduóque pene convictu ita propè Germanos, apud quos Euangelium publicè docebatur ac perdocetur, attingamus, ut non solùm vicini, sed prorsus eadem gens, tantúmque non fratres videri queamus. Ab occidente verò Anglos (apud quos eadem doctrina usque in hunc diem feliciter personat) tam amicos habeamus, quàm vicinos, quibus cum & ipsis & principio-rum fidam & constanté amicitiam à majorib⁹ acceptá adhuc hodie non sine magno nostro bono tempore tam necessario retinemus. Cùm aũt vel ob has causas doctrina euangelica, quæ & in Germania atq; Anglia magna cũ audientia docebatur, & ad nos translatis in nostrũ idioma sacris biblijs varijsq; doctorũ hominũ scriptis mittebatur, millies insonuerit intonueritq; auribus nostris, crucifixo etiã per hæc (ut Paul⁹ loquitur) ob oculos nostros Iesu Christo, nemo ꝑfectò nostrũ ullá ignorantiá prętexere sævitiæ & insaniæ suæ potest. Dubitare itaq; nũc nõ possum⁹, quin præter ꝓfanos olim hostes Christi, ipsam quoq; perfidię & furoris crimine modò infamé Galliá, & feritate, cœcitate, superstitione ac crudelitate hodie insigné Hispaniá, & ipsam deniq; impiá, athea, profanáq; Italiá, maximeq; caput ipsum criméq; malorũ omniũ Romá, juratá fatalemq;, jam inde ab ipsius incunabilis ad ultimũ usque diem Domini, pesté, gurgité & morté deniq; veri Christianismi, vel equaverim⁹ vel vicerim⁹ etiã. Galat. 3.

 Quòd

Quòd si ergo neque furor Gallos, neque cæcitas Hispanos, neque affectata impietas Italos, Romamque ipsam adversus severum judicem mundi & fortem vindicem martyrum suorum Christum, quò minus omnes furoris, cœcitatis impietatisque justas meritasque pœnas luant, tuebitur: quid nobis futurum arbitramur, qui contra certissimum & incorruptissimum propriæ conscientiæ testimonium pios vates nostros divinitus missos furiosè mactavimus, quorum nec vitam improbare, nec doctrinam refutare poteramus? Quid? refutare dico? immò quam degustatam jam ne repudiare quidem, aut damnare unquã ausi fuissemus, nisi lucis odium, quam tenebræ nostræ non tulerunt, & quęstus ex cultu impio atq; avaritia, quæ oculos nostros perstrinxit, & Hispanorum ut diuturnus ita vanus (si viri & pristinæ avitæque majorum virtutis memores fuissemus) terror in nostra membra, in propriam naturam & conscientiam, inque cœlum ac denique in Deum ipsum nos armassent.

Atque hæc confessio cum multis alijs, qui postea resipuerunt, tum etiam non paucis rerum capitalium judicibus expressa sæpius fuit: qui moniti, ut aut conscientię suæ consulerent, aut Deũ dilectorum martyrum suorum vindicem exspectarent, injustitiam quidem judiciorum suorum agnoverunt: sed juxta proverbium, in Pyrrhiã quicquid eorum fuit malorum, hoc est, in regia

edicta conijcere, & à se in Regem amoliri cru-
delitatis invidiam ad tempus quidē conati sunt.
Atque hæc quidem incitamenta fuerunt, quæ
nos, cum meliora & videremus, & nonnulla ex
parte probaremus: amplecti tamen deteriora, &
accersere in capita nostra omnium martyrū va- *Matt. 23*
tumque, ab orbe condito usque ad hunc diem,
occisorum reatum ultricemque Dei manum co-
egerunt.

Etsi ergo idem ille mendax & cruentus spi-
ritus hostis Ecclesiæ nos modò cum proprijs vis-
ceribus, ac nobiscum ipsis cœca rabie commisit,
qui ab initio Ecclesię Cainū in Abelum, Esaum
in Iacobum, Pharaonē in Israëlitas, breviter, qui
totā illam omniū temporū turbam persecutorū
Ecclesiæ in populū Dei instruxit, & in finē usq;
seculorum omnium instructurus est: in nobis ta-
men eò potentior efficacia ejus fuit, quòd in ve-
ritatis agnitę professores ac testes, inque verbi ac
justiciæ divinæ præcones, notæque innocentiæ
homines contra sensum & conscientiam nostrā
nos concitavit: inque ruinam non inprovisam
volentes videntésque præcipitavit.

Proinde quoniam ad horrendam à Deo de-
fectionem ac spiritualem cum simulachris scor-
tationem adjunximus & diræ crudelitatis ulti-
ma detestandaque parricidia in ministros Iesu
Christi, quorum pedes ut pacem lętam annun- *Rom. 10*
ciantium, meritò grati & preciosi nobis esse de-

 buissent:

buissent: ne quæramus alias causas calamitatum nostrarum, quàm has ipsas, quæ Deo maximè sunt invisæ. Neque miremur, si Deus ultor con-
Psal. 116 temtus sui, zelotes impij cultus, & in cujus rationibus preciosa mors est testium suorum, jam etiam ad nos virga ferrea sese convertat, nósque in ira ac zelo furoris sui corripiat, seditionibus bellísque civilibus involvat atque collidat. Nisi enim resipiscimus, initia hęc tantum malorum erunt, & sæviores nobis à Domino dolores parari minimè dubitabimus. Adeò enim illum pervicacia nostra non vincemus, ut si ad domandam debellandamque prefractā rebellionem nostram non sufficiant, quas huc usque sensimus, calamitatum publicarum plagæ, expedi-
3 Reg. 12 turus sit & scorpiones suos Deus, concitaturus &
Apoc. 9. alios insuper hostes in nos, quorum linguam nō noverimus, ignotos quidem facie, at notæ inclementiæ homines: donec tandem cladibus bellorum ac tumultuum, morbis ac fame domiti, diverséque agitati ad internecionē redigamur, & mistum nobis divini furoris poculum integrū hauriamus, planéque consumamur.

Habemus ergo nunc malorū nostrorum principes causas, obstinatum nimirum Dei ac verbi divini contemtū impiumque idolorum cultū, & immanē insanamque in sanctos ejus ministros cum pertinacissima theomachia conjunctā crudelitatē. Principes autem causas dico: non enim

solas.

ſolas. Sicut enim Spiritus Sanctus per os D.Pau li teſtatur, impios idololatras deſertos a Deo tradi dedique cupiditatibus fœdis in mentem rationis judicijque omnis expertem, atque ita per omne genus ſcelerum in exitium ferri præcipites: ita quantum vitiorū atque flagitiorū agmen longa, & quaſi cathenata quadam ſerie, ſecū traxerit fœcunda hæc vitiorum mater idololatria ac theomachia noſtra, utinam minùs multa inter nos documenta exſtarent. Is namque vitiorum omnium proventus apud nos eſt, isque cumulus, ut quando jam ad fundum propè pervenimus, & præter numinis reverentiam hominum quoque famam, metum ac pudorem abjecimus, contemnamus.

Rom. 1.

Prou. 18.

His accedit, quòd, quaſi noſtra nobis non ſufficiant, ab exteris quoque, ceu ſobolis fœcūdioris ergò, plura quotidie mutuamur. Quæ omnia demonſtrant, nos, dum urgemus, accumulamus & acceleramus exitij noſtri cauſas, quaſi non ſat citò perituri alioqui ſimus, imminere jam planéque maturuiſſe (niſi eam clementiſſimus Dominus magisque propitius nobis, quàm ſumus ipſi, placidè avertat) damnationi, pœnæ ruineq; noſtræ. Verùm ego præcipuas, ut dictum eſt, malorum noſtrorū, & cubantis jam in ipſis propemodum foribus exitij cauſas, ut fontes, oſtendiſſe contentus, obiter indicare hęc tantū volui, non etiam perſequi longiùs.

Altera pars de remedijs malorum Belgicorum.

NVNC autem, quia causas, vim ac magnitudinem morborum nostrorum tenemus, tempus est, ut de medico ac remedio properè cogitemus. Moram enim non patitur celeritas appropinquantis vindictæ, & immensa veluti maris exundantis contritio imminens cervicib⁹ nostris. Quis ergo medebitur nobis? Prophetę

Thren. 2.

enim nostri viderunt nobis falsa & stulta: nec aperuerunt nobis iniquitatem nostram, ut nos ad pœnitentiam provocarent: viderunt nobis onera vana & expulsiones. Nos præterea & cœlum & terram impietate ac sævitia nostra offen-

1. Thes. 5. Hebr. 2. 12. Esa. 10. Rom. 2.

dimus. Et novimus vindictam in manu, inque promtu esse ei, quem læsimus. Certum quoque, nullum esse in terris neque sub sole nobis refugium adversus eum, qui potenti manu sua & cœlum & terram & universum hunc globum ac machinam mundi uno momento impellere in nos ac sternere, confundere disperderéque nobiscum potest. Quis igitur conservet nos ad-

Apoc. 6.

versus iram non venturam, sed jamjam præsentem Dei sedentis in throno Majestatis, proque tribunali terribilis judicij sui. Nulla profectò neque hominũ neque angelorum, neque etiam deorum divorumque, quos fecimus, potentia: nulla nec regum edicta, nec bullæ Pontificum, quorum libidini in affligenda Ecclesia morem

Luc. 23. Apoc. 6.

gessimus: atque adeo ne ipsa quidem collium montiumque vasta ponderosaq; moles abscon-

dere nos atque protegere gremio suo poterit.

Cùm verò nec effugij locus, nec spes auxilij, nec mora supplicij, tenente jam atq; intentante nobis potentem præsentemque ultionem suam Domino Deo, usquam affulgeat, ipsa nos necessitas, Belgæ, si minus voluntas, ipsa magnitudo periculi quo nos vocet, ducat, rapiátque, videtis: nempe ad ipsum, qui offensus est, quique pœnis jam nostris admovit manum & ni deprecatum maturè venimus, non amovebit antè, quàm nos ad internecionem consumtos, ac damnationi suppliciisque sempiternis addictos traditósque cum stirpe adeoque nomine nostro ex ipsa terra ac memoria viventium prorsus funditúsque deleverit. Hìc nobis adeundus ac deprecandus est Act.4.
ipse, & nemo præter ipsum, nemo itẽ cum ipso, 1.Tim.6
aut prę ipso. Hoc nobis adhuc unicum verum Luc.5.
fidumque, rebus alioqui perditis ac deploratis, perfugium, hæc sola certa, firma veréque sacra anchora inter sævos desperationum dubitationumque fluctus jacienda figendáque, hic denique solus certus æternúsque æternę salutis ac vi- Iob.5.
tę portus subeundus erit. Idem quoque medicus Esa.61.
erit, qui vulneravit: idem patronus ac defensor, 1 Ioan.2.
qui & judex vindexque tribunal jam conscen- Luc.10.
dit: idem servator, salus vitáque nostra, qui alio- &c.
qui perdere nos æternóque exitio dedere, & ho- Matt.10
stibus nostris de calamitatibus interitúque no- &c.
stro grata ac sperata gaudia triumphósque, nisi Esai.16.

 serio

ſeriò reſipiſcimus, concedere decrevit. Cæterùm ut ſolus ille obligare vulnera noſtra, & ſanare morbos languoréſque, & ab interitu in ſalutem aſſerere nos poteſt, ita niſi contritos corde, con-

Pſal. 51. fractos ſpiritu, & morbum ingenuè agnoſcentes, ac medicam ipſius manum ex animo implorantes, ſanare ac ſervare non volet. Quoniam autem non aliter morbũ ſatis agnoſcimus, quàm expenſa ad trutinam verbi Dei vi & magnitudine peccatorum noſtrorum (hi namque revera morbi noſtri ſunt) neceſſe eſt, ſiquidẽ bona fide ſanitatem quęrimus, ut non circumſpiciamus tenebras tegendis peccatis, non fumos, aut fucos, aut folia ficulna, aut ſtrophas ſophiſmatum ad fallendum configendumque inſomnẽ oculum

Rom. 7. Domini Dei, ac ſapientiſsimi medici noſtri Chri-

Pſal. 19. ſti: ſed prodeamus in ipſam verbi divini lucem, & examinata ad ejus, non noſtram, normã miſeria magnitudinéque delictorum, agamus verã ex intimis animorum penetralib' pœnitentiam:

Galat. 3. demittamus criſtas & ſupercilium proprię juſti-

4. 5. ciæ, dignitatis meritorumque: humiliemus cor-

Rom. 4. da, noſque ad pedes Dei noſtri proſternamus:

&c. ac meruiſſe nos extrema quæque bellorum, calamitatum, famis, morborum, ac mortis denique æternæ perpetua tormenta profiteamur. Imitemur laudabile & æterna dignũ memoria exem-

Ionæ 3. plum Ninivitarũ, qui ad legationẽ Ionæ prophetæ non modò non obfirmarunt animos: ſed etiã

(ut hi-

ut historia sacra testatur, conspersi cinere, saccósque induti (in signũ veri doloris) publico luctu egerunt pœnitentiã. Proponamus nobis Israëlitarũ in exilio Babylonico etsi serã, tamẽ veram seriãq; idololatriæ ac delictorũ suorũ confessionem. 2. *Esd*. 10. Sanctificemus jejunium, rumpamus nõ vestes, sed corda, non postes, sed pectora: Demus hanc gloriã Deo justo, vero & veraci, damnemúsque nos ipsi antè, quã ab illo condemnemur. 1. *Cor*. 11. Compungat nos, angat cruciétque horror iræ judicijque divini adversus immẽsam magnitudinẽ & profundã abyssum peccatorũ nostrorũ. Ne purgemus facinora: néve peccata vel hypocritarum more elevemus, vel obstinatorũ idololatrarum exẽplo defendamus, patrocinantes hoc modo blandientésque haud dubiæ miseriæ atq; condemnationi propriȩ. Sed si sapimus, cum *Da*vide, Ezechia, Manasse, Paulo & Petro, atq; alijs pijs hominib⁹ pœnitentiã verã quà publicè quà privatim agamus, verã peccatorum confessionẽ agamus, dicamúsq; in hunc vel similẽ modum:

Peccavimus, ô Deus, nos & patres nostri, atque impijs ac sævis nos facinorib⁹ obstrinximus, *Dan*. 3. *Psa*. 106 & peccata nostra nunquã non obversantur nobis, nósque coram judicio conscientiæ nostræ, & imprimis ante justissimum severissimumque tribunal tuum accusant. Et si vel maximè nos taceamus, cælare ea cupientes, clamãt tamẽ contra nos & vindictã tuam divinã penè clara voce depo-

Apoc. 6. deposcunt spretum à nobis repudiatumque san-
Gene. 14 ctissimi fœderis tui sacrosanctum volumen, ac
profanatū impio idolorum cultu templum tuū,
& crudeliter injusteque profusus à nobis inno-
centium tuorum & fidelium servorum ac mar-
tyrum sanguis. Clamant contra nos & ipsa ter-
ra, flumina & maria, quę nostris ex manibus hau-
rire innoxium sanguinem, & idcircò divinam
exsecrationem nostro merito sustinere coacta
Hab. 2. sunt. Clamant denique & ligna ipsa & lapides,
aurum & argentū & gemmæ; ipsa quoque ossa,
pulveres ac reliquiæ sanctorum Ecclesiæ primi-
tivæ martyrum, quæ nos impiè eruta sepulchris
idololatriæ nostræ, ad inflammandum in nos i-
psosque iram zelumque tuū, servire coëgimus.
Psal. 40 Peccata itaque nostra, quorum numerus & capi-
&c. 19. tum nostrorum pilos, & ipsas littorū arenas exce-
143. &c dit, quęque cœlum terramque & eorum omnem
plenitudinem servitio tuo dicatam, in nos exa-
cerbarunt, cælare ampliùs neque possumus neq;
volumus. Non sumus autem, ô Domine, digni
ampliùs hujus suavissimæ lucis usura, neque a-
spectu convexi altitudinisque cœlestis. Scimus
Hebr. 12 quoque, & jamjam sentimus, te justum atque in-
Rom. 2 corruptum esse judicem, oculatum ac præsentē
testem inspectorèmque actionum cogitationū-
que nostrarum, & præpotentem vindicem cùm
aliorum scelerum, tum & inprimis idololatriæ
& contemti projectique cultus tui. Itaque si in
judicium

judicium intrare nobiscum, próque jure tuo statuere de nobis velles, non dubium, quin desperandum nobis, ac pereundum de terra numeróque viventium extemplò esset.

Sed quoniam ex adversò de tua quoque clementia, benignitate ac misericordia erga eos, qui mole peccatorum suorum, atque comminatione horribilis judicij tui pressi territique, vera eorundem pœnitentia ac dolore contusi fractique, ad gratiæ tuæ thronum confugiunt, & clementiam tuam unicam salutis suæ fiduciam supplices vera fide implorant, ita persuasi sumus, ut quantumvis ingentem miseriæ nostræ magnitudinem longè superent immensi atque inexhausti gratiæ bonitatisque tuæ thesauri: nos quoque calamitatum peccatorúmque nostrorum sensu, dolore, & justissimi judicij tui terrore paventes atque cõsternati, supplices tibi manus tendimus, & ad gratiæ tuæ thronum abjecti veniam delictorum oramus. Neque dubitamus, quin exoraturi etiam simus. Tu enim, ut clementissimus pater, multorum reorum, & imprimis Pauli, Petri, Davidis & Ninivitarum exemplo contestatam nobis verè paternam & infinitam tuam misericordiam fecisti, nolle te videlicet pertinaciam & mortem, sed pœnitentiam & vitam miserorum peccatorum. Etsi ergo te, justissime Deus, & magnitudine & multitudine scelerum nostrorum gravissimè offendimus, planéque digni sumus,

Psal. 51.
Ezec. 18
Esai. 55
Ezec. 33

mus, in quos universas ultionum tuarum plagas semel ac simul effundas: hac tamen infinitę bonitatis tuæ fiducia, clementissime Pater, ad thronum gratiæ tuę accedere audemus. Ignosce igitur, ô Pater, ignosce, agnoscentibus peccata, parce prostratis, & redde vitam perditis, lumenque salutare benigni vultus tui obverte infelicib' nobis. Spiritum quoque tuum, Spiritum veritatis & judicij da nobis. Spiritum novum rectumq; nostris in visceribus innova, ut te solum posthac & agnoscamus & adoremus verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sic nos neque ab obedientia, fide, amore cultuque tuo ad aliena cõmentitiaque numina ullis unquã præstigijs ac sophismatis abduci nos patiemur: & in Ecclesia tua perpetuò habitabimus, ibique celebrabimus nomẽ tuum, & canemus ac recinem' benignitatis ac misericordiæ erga nos tuæ immensam magnitudinem laudibus sempiternis.

Psal. 51. Ezec. 36

Ephes.

Hac sanè, aut huic non multùm dissimili, Belgæ, confessione ac deprecatione opus habent res nostræ, non autẽ sophistica vel extenuatione vel defensione tantorum criminum. Nam ut fumis ac præstigijs sophistarum non fallitur, sed magis irritatur Deus, ita cõfessionis ingenuitate ac fide placatur, inclarescitque nobis salutiferum lumẽ vultus ejus. Vtque jam nõ fucis ac tenebris locus est nobis, quorum peccata atque ignominiã tam res, quam dies ipsa in lucem protraxit: sic neque

Ezech.

fugæ aut latebris, ad quas nulla velocitas proderit, neque effugio, cujus omnis vana ſpes erit, niſi ad ipſum confugere Deum noſtrum contendamus, vanæ fallaces ac præcipites quærendæ ſunt viæ.

Valeant itaque ſophiſmata, valeant & ſophiſtę, idolorum noſtrorum cędiumq́ue patroni atque architecti. Valeat immò doleat, egeat, oleat ac pereat malè, angatur, ringaturq́ue ſalute noſtra, ſucceſſu Eccleſiæ & adventu Regni Chriſti univerſa illa paluſtrium, ranarũ, locuſtarum, hypocritarum, ſycophantarum ac ſectorum malefica, venefica ventri abdominiq́ue dedita turba: dum nos, ſpretis illorum calumnijs ac vocibus Sireneis, rectum clavum tenentes in portum ſalutis dirigimus navem. Pereat, intereat (ſervari enim nõ vult) & de terra viventium exſtirpetur nefaria iſta & exitialis Eccleſię patriæq́ue fax, peſtis, pernicies, mórſque omnis pietatis ac virtutis, rebellis in Deum, crudelis in genus humanum, infamis ad omnem poſteritatis memoriam, ebria non vino, ſed ſanguine, devota juratáque obſequijs magnæ meretricis, Inquiſitorum, Ieſuitarum, Franciſcanorum, Dæmonicanorum & reliquorum (exhaurire enim fœtidam iſtam ultroneę mendicitatis ſentinam moleſtum eſt) tetra tetricáque progenies. Pereat, inquam, (quoniam Deo ipſi ore blaſphemo laqueum mandat) ruatque in præceps, & lethęis potiùs

In Inquiſitorũ & monachorum ſævitiam & hypocriſim.

mergatur

mergatur aquis, impius ille atque infinitus riſorum, atheorum, ventrum, nebulonum, leonum & lenonum, luporum, urſorum & pardorum exercitus, quàm nos fraudibus ac furoribꝰ illorum, poſtquàm divinitùs meliora didicimus, ampliùs obſequendo pereamus & ipſi male cum malis.

Vtinam autem hanc nobis mentem det Dominus, ut ſalutaribus ipſius conſilijs admoniti, & euangelij luce illuſtrati abijciamus tandem omnia opera tenebrarum ac pſeudoprophetarũ: & fugiamus, vel potius fugemus triſtes iſtos & graves, atque vel ſolo obtutu lethales, vitæ noſtrę baſiliſcos aſpideſque, quorũ virulentis oculis, & pernicioſis conſilijs immanè, quantum hactenus læſi ſumus: & quorum ſævicia non ſolùm omnium tyrannorum ac ferarum immanitatem ſuperat, ſed ipſis quoque terrarum, undarum, & flammarum elementis gravis eſt. Nam cùm jam appropinquante judicij die, ipſa tellus undęque reddere atque eructare geſtiant, quæ invita hauſere, piorum Ieſu Chriſti teſtium corpora ſanguinemque: tamen hæc teterrima monſtra naturæ, hæque inſatiabiles furiæ & vultures avidiſſimi crudeliſſimique, ne his quidẽ tantis cruoris humani fluminibus ac maribus exſaturati, ſed inſuper ad plures majoreſque adhuc cædes ac ſtrages ſuperioribus lanienis quaſi eſcis illecti & internecioni Eccleſię Chriſti ac demũ ipſius totius humani generis inhiantes atque invigilãtes,

ſpargere-

ſpargere venena ſua & conſilia ſanguinaria ſuggerere magiſtratibus ne nunc quidem ceſſant. Cùm enim qualemcunque hanc Eccleſiæ quietem, vel potiùs inducias, pro innato ipſis odio glorię divinæ, & dolore invidiaque ſucceſſus regni Chriſti, non ferant maligni catoblepæ noſtri, anguntur & quiritantur, turbati orbis, hoc eſt, commotæ ac periclitantis tyrannidis ſuæ ſolam eſſe cauſam, ignaviam ac negligentiam magiſtratuum patentium hæreticis.

Agnoſcitis enim, ni fallor, quæ veſtra prudentia eſt, Belgæ, veterem cantilenam & feralem nęniam infauſtiſsimarum avium. & quos dent gemitus, quas cieant lachrymas, quæ vobis tendāt retia laqueóſque, videtis. Dolent, ſcilicet, & illachrymantur vulneribus orbis clementes laniſtæ, vel potius crocodili, quæ ipſi inflixerunt: & eripi ſiti ſuę cruentę à meditata laniena tot tamque præſtantes ditiones ac provincias moleſtè ferunt. Et mirum, ni vel feralia nobis convivia nuptiaſque, quales non ita pridem Gallis fecerunt, apparare ſatagant, vel univerſis Chriſtianis unam optent cervicem, quando ſingulos conſectari longum eſt. Hinc illæ, nimirum, lachrimæ fletúſque crocodilorum noſtrorum. Hinc ſuſpiria illa gemitúſque Acherontiorum dæmonum, ſtygięque paludis ranuncularum. Hæc illa funeſta Belgio totque malorum conciliatrix Helena, quam ne ſic quidem, niſi poſt internecio-

nem & patriæ & suam reddere marito, vel potius lenoni suo volunt.

Vos igitur, Belgæ, ad perdendum Belgium appellandi atque impellendi estis, hoc est, ad explendam carne ac sanguine vestro, & vestrorum famem, sitim, rictum & ingluviē inexplebilem immitissimorum vulturum. Credite autem, si placet, non mihi, sed vobis, immò ipsis inquisitoribus, eorumq́ue actionibus quotidianis, & videbitis id quod res ipsæ clamant, ad satiandos istos nihil omnib⁹ supplicijs actum esse, nisi uno compendio unoq́ue incendio flammarum sacrificetis desiderijs istorum: aut, si mavultis, uno undarum diluvio diuturnam tristiciam & cruentas lachrymas istorum abstergatis abluatisq́ue. Scitote vos hactenus ludos tantùm fecisse istis, nisi & cognatos & fratres, & uxores liberósque vestros (quotus enim quisque apud nos non aspicit hodie lucentem gentibus, regnis ac provincijs vicinis clarissimum euangelij solem?) ut hæreticos, atque ad extremum & vosmetipsos, gratissimam istis præter omnes superq́ue omnes alias hostiam (nam & vos jampridem parcendo hæreticis & paciscendo cum hæreticis illorum judicio labem hæreseos contraxistis, deósque eorum irritastis) una in ara juguletis mactetísque, eóque demum cruento sacrificio placatis istis numinibúsque istorum regnum ac monarchiam mundi desertam consecretis.

Huc

Huc enim tendunt consilia istorum, huc affe ctant viam, ut relegato ad Epicurum atque Democritum Deo, ipsi vacuam orbis possessionem cum dijs suis occupare, trucidato genere hominum, possint soli. O furias infernales, ô sepulchrales dæmones, ô serpentes draconésque immitissimos perditissimósque. Irritatus est, scilicet, Deus, quòd segniùs mactavimus hęreticos, quódque siti cruoris humani exarescunt insaturabiles fauces vestræ? Audimus, ô boni, & quidem credimus. Sed quis Deus, dicite ô sacri mystę implacabilis Acherontis. Nimirum vester ille, qui sua vobis arcana communicat, Deus Venter, vester ille Plutus, vester summus ille, & cui hæc omnia sacrificia paratis, tenebrarum nequitiarumque cœlestium dominus deus Abaddon, efficax in contumacibus, mendax, homicida, rex locustarum & pseudoprophetarum: qui mulierem parturientem in deserto persequutus est, cui caligo tenebrarum vobiscum in æternum servata est, quique tandem cum devotis mancipijs suis ad sempiternos cruciatus in stagnum sul phureum abjiciendus erit.

Ephes. 2.
Apoc. 9.
2 Thes. 2
Apoc. 12

Hic est videlicet perditus ille seculi hujus Deus, qui cæde & mendacio gaudet, qui sanguine Christianorum potatur, pascitur ac vivit. Huic si ritè litabimus, non nisi totius Ecclesiæ Christianæ patriæque nostræ, & universi hominum generis panolethria; uti jam dictum est,

 desum-

defungemur. Qui si ad intermissam mactandi consuetudinem turbatur, & maturitatem judicij suppliciȷque sui adeò propinquã aspicere ęquis oculis non sustinet, quid mirum? Quid mirum, si consuetum incendiorum nidorem, & suaviorem vino sanguinis potum, & quæstuosas sectiones, & quadruplationes, seu triplationes ereptas sibi Abaddon, Venter, Plutúsque dij vestri doleant anganturque?

Sit ergo hæc ira deorum vestrorum, & accusate, incusate atque arcessite, quàm vultis diu, magistratuum ignaviam turbati regni tenebrarum: ruere tamen vos vnà cum dijs ac tenebris vestris adventu solis justiciæ, fieriq́ue tandẽ vobis ceu decrepitis araneis, proprias perniciosorũ consiliorum telas, retia, fossásque necesse est.

At noster hic cœli terræque conditor Deus vivus, veréque Optimus Maximus, clemens, amans hominum & servator, non perditor humani generis, qui orbi servando, non perdendo, *Ioan.3.* *1 Ioan.4* inaudita bonitate unigenitum filium dedit, qui *Rom. 5. &c.* ad docendos, non trucidandos errantes doctrinam salutis per prophetas & apostolos conscri- *Ephes.5.* ptam servandã Ecclesiæ & sanctè custodiendã, *Deut.4.* non adulterandã nec augendã minuendámve *Psal. 119* tradidit: & huic ministerio magistratũ in terris suo loco constituit ac majestate ornavit: is adeò non irascitur magistratui abstinenti manus à sanguine piorum afferentiũ asserentiumq́ue eandẽ

hanc non aliam doctrinam, quam ab apostolis quidem bona fide traditam, sed nostra ingratitudine neglectam, scelere corruptam, impietate amissam, vix inter chartas & pulveres monasticæ barbariæ ac misanthropię nostris temporib⁹ reperiebamus, ut etiam gratia sua atque omni donorum genere prosequatur eos, qui hospitium Ecclesiæ dederint: & contra oderit, exsecretur, malósque male perdat, qui non dederint. *Matt. 10 &c.*

Huic autem Deo nostro forti & glorię suę zelotæ nō modò non molesta, sed contrà mirificè grata potiùs est, mirisque laudib⁹ & benedictionibus ornata magistratus pietas monstratos errores abrogantis, verámque doctrinam, germanum sacramentorum usum, & legitimum ejus cultum publicè restituentis. Docent id exempla Mosis, Iosuę, Iudicum, Regum, Esdræ, Nehemiæ & Machabæorum.

Sed hæreticis, inquiunt, & schismaticis parci non vult Deus. Audimus & istud. Quia verò & veri Dei nomine ac titulo nequitiam vestram & sæviciam velare non desinitis, agite, descendite in harenam, & pedē conferte in plano, & ostendite, si potestis, hæreticam esse hanc doctrinam, cujus lucem oculi & tenebræ vestræ non ferunt neque comprehendunt. Ostendite schismaticos esse eos, qui, ut ad Christum Servatorem accedere possent, salutem & pacem inventuri, à vobis perditis ac perditorib⁹ male tractati, ne planè *Obiectio*

ad internecionem redigerentur, recedere necesse habuerunt. Id quia non facitis, ne infinitis quidem fumis ac flammis, iris atque diris, commentis ac tormentis, ranis & locustis è puteo abyssi vestræ in terram ad obscurandum solem & miscendum bellis auxilio bestię terrarum orbem emissis: sed contrà vobis frementibus gementibúsque salutiferam hanc doctrinam, veréque catholicam ipsius Iesu Christi & apostolorũ nunc Dei beneficio reducem & jure postliminij pristinum decus recuperantem lęta hodie excipit Europa, fumorum fucorumque vestrorum jampridem pertæsa, quo tandem jure, quo item ore negare potestis, catholicam esse, quam tot artibus viribúsque, tot bellis ac cædibus nõ tantùm non expugnastis, sed & cõfirmastis & munivistis magis? Itaque vobis vel invitissimis conscientiæ vestrę judicio fatendum erit id, quod Deus ac dies ipse ostendunt & evincunt, ipsissimam Christi & apostolorũ doctrinã virulentis morsibus vestris peti atque orę impuro blasphemóque damnari hęreseos ac divisionis. ejúsque odio totum terræ, solis cœlique orbem à vobis ipsis, nõ nobis, perturbari atque commisceri.

Apoc. 11.

Quia verò ad cædes faciendas (unum enim hoc remedium solumque fulcrũ tuituræ tyrannidis Antichristi videbatur, ut cùm jure causæ non posset, vi metúqȝ confirmaretur) parũ æqui videbantur superi, parúmque in mala causa prę-

sidij, movendus Acheron & evocanda ab inferis Alecto quæpiam fuit. Itaque concitari primùm imperij vires in Ecclesiam placuit. Posteà ubì hac res successit, & in Anglia, Scotia, Gallia, tandemque & apud nos, ubi re ipsa cognitum est, nihil profici supplicijs, verissimumque esse quod quidam dixit: Cineres martyrum esse semen Ecclesiæ, publicè capta sunt arma.

Cæterùm ne sic quidem vel hilo facilius esse contra stimulum calcitrare, aut felicius omnia arma sumi adversus Dominum armorum & exercituum, tristissimi casus tyrannorum, qui in hunc invictissimum Monarcham experiri vires suas ausi, simul & calces & cornua sua perfregère, plus satis apertè declararunt: & ipse dies Domini jamjam porrò declarabit, qui ut omnia occulta revelaturus est, sic & pseudoprophetarum blasphemias in jugulum frementibus gementibúsque ipsis recoacturus, & duplum eis meritumque iræ suæ poculum propediem misturus. Quoniam validus est Dominus, *Apoc. 18*
qui jampridem damnavit eos.

Angantur itaque glorioso adventu Domini nostri Iesu Christi, & ringantur, si libet, omnes ranæ locustæque, dum & rumpantur: fremant, dum gemant: screent atque exscreent quæ possunt in Deum Christúmque ejus convitia, dum fleant ac defleant jam vilium ac putidarum mercium escarumque suarum justissimum

contemtum atque fastidium, & meritas tandem contemti numinis, impugnati Euangelij, & illusi confusique orbis pœnas exsolvant. Corruere enim illos atque ire præcipites unà cum Babylone, quæ eos ditavit, ebriaque sanguine sanctorum meretrice, quæ seduxit, fascinavit ac dementavit eos, decretum est signatumque divinitus.

Apoc. 18

Verum, ut istos jam ad stagnum suum puteumque, vndè egressi sunt, remittam, vos mihi iterùm appellandi obsecrandique estis, Belgæ, ut si verbera divina, quæ modò sentimus (sensuri magis, nisi cavemus) eorumque causæ verè nobis dolent, ne cogitemus de fuga, nec vana quæramus effugia: sed confugiamus potiùs ad ipsum qui nos ferit, accidamus atque procidamus ad thronum immensæ gratiæ ac misericordiæ ejus vera cum animorum dejectione atque fide, dignósque pœnitentia fructus edamus. Et quemadmodum Deum nostrum hactenus impio idolorum cultu, stulto contemtu verbi, & injusta laniena populi sui in nostras pœnas provocavimus: ita jam hinc inde profligatione idolorum, & restitutione veri cultus ac doctrinæ, & pio in Ecclesiam ejúsque ministros amore, inflammatam in nos iram Dei mitigare, ac dolorem nostrum veræ pœnitentię testem veris quoque pœnitentiæ Christianæ documentis demonstrare atque exprimere contendamus.

Hebr. 4.

Luc. 3.

Non dubiũ autẽ, quin si his animis ad Deum

nostrum venerimus, fida interpellatione Servatoris nostri Iesu Christi subnixi, non solùm veniam à Patre clementissimo impetraturi, sed & imposterùm divinitùs adversus quaslibet minas Satanę ac mundi certissima promtissimaque auxilia habituri simus. Rom. 8.

Et quòd ad veniam quidem attinet, eam hac lege certò sperabimus, si non desperabimus: certò quoque consequemur & assequemur, si sequi eam bona fide, ac persequi non cessabimus. Etenim ille immensæ bonitatis atque clementiæ Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui à limine misericordię suæ neminem submovet, immò verò, qui quosvis ad se peccatores invitat, Matt. 11 quique veros veræ pœnitentiæ stimulos electis suis subdit, ut pœnitentiam non fictam agere queant, is nos quoque ad pedes divinę benignitatis suæ provolutos minimè repellet. Et si nos malum cogitationum nostrarū auferamus è conspectu Domini Dei nostri, lavemúsque manus rapina & sanguine plenas, causam innocentis, oppressi, viduę & pupilli suscipiamus: & exstantia adhuc adhærentiaque rotis, postibus ac patibulis, ad fœdum indignumque spectaculum visentium & escam alitum ferarumque, corpora sanctorum martyrum pię sepulturæ mandemus cum ingenua veráque nostrę crudelitatis tristitia ac dolore, dubitare non oportet, neque disputare adversus Dominum: quin, si vel coceum vel Esa. 1.

purpu-

Esai.1. purpurã rubedine vincant peccata nostra, ipsam lanam nativam nivémque candidissimam per gratiam Dei candore sint superatura.

Etsi ergo ob oculos nobis versatur & numerus & magnitudo miseriarum & iniquitatum nostrarum, quibus patientiam ac longanimitatem divinam tam diu fatigavimus, quia tamen infinitus, immensus inexhaustúsque gratiæ illius thesaurus est, quem superare numerus quamlibet ingens non potest, moderandus ita dolor est, ne nos absorbeat ægritudo, néve de gratia desperantes exemplo Caini, Iudæ ac similiũ, & contumaciter accumulãtes nobis iram Dei, ruinam nostram acceleremus: sed ut veram & salutarem resipiscentiam efficiat & fidem accen-
2.Cor.7 dat is, qui ad salutem deducit dolor, quem Deus ipse facit: cùm è contrario mundi dolor stimulis diaboli mortem afferat. Remissa itaque peccata nostra erant, si remissionem, non aut impiè desperabimus, aut repudiabimus arroganter.

De auxilio divino fidáque protectione cultorum ejus tum demum cogitandum nobis erit, quum nos, quod nostrarum est partium, ipsi præstiterimus. Nisi autem ad obsequium voluntatis ejus, & officium vocationis nostræ bona fide simus comparati, non video, quomodo de auxilio ejus tempestivo certóque certi esse possimus, cujus consilium fidissimũ saluberrimumque repudiamus. Quò enim Deus vocat (vocat autem

ad gloriam suam & salutem nostram) intrepidè alacritérque citra hæsitationem, tergiversationē ac respectationē per omnia impedimenta perrumpendum, sequendū, ac pede fausto pergendum, sive æqua sit via, siue iniqua. Ipse enim, qui vocat, diriget & cōplanabit omnes vias nostras. *Luc. 3.*

Quamobrem commissa ipsi Domino Deo omnipotenti, veraci, & soli sapienti eventus cura, ad repurgandum idololatrię templum ipsius & restaurandum verum Dei cultum, Deo ipso adjutore ac duce, accingamur & accedamus cum certa boni exitus fiducia. Accersamus ergo primùm doctos, fidos pióisque ministros, qui moribus ac doctrina sana rectè atque ordine docendo faciendóque, Ecclesiæ fundamenta jaciant, & cum sana doctrina verum sacramentorum usum ex institutione ac mandato Christi ad regulam Scripturę demonstrent. Deinde ne quid interim confusè ac perperam in ipsis initijs, quasíque primordijs Ecclesiæ, ad offendiculum ignorantiū fiat, ordinem aliquē ac politiam ecclesiasticam seu disciplinā coërcendis enormibus vitijs è scriptura, qualem ab apostolis accepimus, aut saltem proximum ei instituamus. Tum etiam avidos doctrinę nos ipsos, dociles & obsequentes Christo atque euangelio reddamus. Sic etenim & domum Domini, id est, Ecclesiam ędificabimus, & factiones & hæreses vitabimus faciliùs.

Ne

Mat. 20 Ne autem pudeat nos vel serò tandem, vel etiam undecima diei hora in sacrosanctam Domini vineam, non tam ad suscipiendum laborē ac molestias, quàm ad percipiendum verum fructum & gaudia immortalia prodire. Satius nobis sit serò venire, quàm non venire unquam. Quanquam ne serò quidē venturi sumus, si saltem venire seriò, & intonantem auribus nostris verbi cœlestis tubam vel nunc tandem exaudire non detrectabimus. Non enim vel horarum, vel articulorum, vel etiam locorum ac spaciorū, sed Domini Dei Patris & Servatoris Christi, qui nos invitat, est salus & vita nostra: in cujus sanè rationibus primi pro ultimis, próque primis ultimi persæpè reputantur. Gratiæ enim suæ præmia, non temporum laborumque nostrorū precia suis adnumerat Dominus, cujus sunt omnia.

Properandum est ergò occurrendumque adventanti sponso. Maturandum figendumque pacis osculum clementissimo Principi ac Regi nostro Iesu Christo. Festinandum autem non ideò
Psal. 2. tantùm, ne expeditam in nos ultionem, & jam sublatam virgam ejus ferream gladiumque extensum à cervicibus nostris avertamus, verumetiam ut voluntaria alacrique obedientia liberaliter ac libenter, ut filij, serviamus, & gloriam demus Deo vivo, Patri & Redemtori nostro, cujus glorię tantùm nati creatique sumus. Gratum enim Deo quidem est servorum suorum obse-

quium, & metus iræ ac vindictæ ipsius. Sed gratior, immò bis gratus est filiorum liberalis pudor, quem non tam metus supplicij, quàm amor officij conciliat. Duplici itaque jure ad placandum Deum accingi nos oportet: tum quia Dominus servorum potentissimus, tum quia Pater amantissimus filiorum suorum est: Iudex quidē & vindex rebellium atque fugitivorū servorum: at propicius, clemens & munificus remunerator fidelium liberorum, etiam eorum, qui post agnitas errorum offensas ad Optimum Clementissimumq; Patrem confugere, quàm ad Satanam perfugere, malunt. Ejus ergo cultui glorięque deditos nos esse par est tam promte, quàm necessariò, cujus & servi sumus & filij. Cùm enim solus ipse sit & Pater & Deus noster, & solus condiderit nos sine ope idolorum: sibi soli, non idolis: ad imaginem suam solius, non idolorū: nósque post amissam hanc imaginē solus sola gratia per Christum unigenitū suum solum reconciliatos, & per Spiritum Sanctum solum in eandem, non aliam, imaginem regenitos denuò adoptaverit in filios & heredes, ad gloriam suam & salutem nostram: sitque per hæc tam redemti, quàm creati, tam regeniti, quàm facti hominis solus in solidum author, indignissimum profectò fuerit, vel preter ipsum, vel cum ipso, vel æmulum vel socium tantarum laudum ipsi surrogare conjungeréque. Genes. 1.

Quòd

Quòd si verò de cultu Dei nullum prorsus aliud in sacris literis testimonium exstaret, tamen meo quidē judicio, vel sola hæc ratio plus satis convictas captivasq; tenet conscientias nostras, redditura inexcusabiles coram Deo omnes vanorum numinum adoratores, quòd gloriam
Rom. 1. Dei creatoris ad res creatas impiè sacrilegéque transtulerint.

Iam cùm de debita veneratione Dei tam multa tamque illustria per totam consentientémq; scripturę seriem exstent testimonia, quam ignorantiam nisi affectatam atque accersitam voluntario errori obstinatæque impietati prætexem'?
2. Cor. 4. Nam de hac ita Paulus: Quòd si tectum est, inquit, euangelium nostrum, ijs, qui pereunt, tectum est: in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, nempe infidelibus, ne resplendeat ipsis lumen euangelij. Ne recusemus ergo debitam meritamque gloriam reddere Deo nostro, qui indebitam immeritamque gratiā suam tribuere nobis non recusavit.

Loquor autē vobis, Belgæ, cùm singulis, tum universis. Singulis quidem, ut non modò templum suum unusquisque, hoc est, conscientiam suam, seque ipsum totum diligenter repurget, sibique caveat ab idolis: verumetiam ut pro suis
Matt. 5. quisque dotibus, vocatione ac munere, ad gloriam Dei sui, ad incrementum Ecclesiæ Regnique Christi Domini ad publicam cùm totius hu-

manæ

mani generis, tum imprimis patrię salutem & incolumitatem conferat impendatque omne studium, opem, consilium, & se denique ipsum, si sit opus. Videant ergo Principes, proceres, rectores ac præsides populi, civitatum & provinciarum, quid hac in parte supremo Principi, Rectori, Præsidique totius hujus universi Deo, quid item saluti subditorum suorum debeant, & quomodo fidē suā apud eum liberent.

Videant & Ecclesiastici, Præsules, Episcopi & Pastores, quid ab eorum fide Christus pastorum princeps, quid Ecclesiarum suarum numerosi greges, quid item nomina ipsa titulique tam onerum quàm honorum pleni deposcant. Nimirum ut, quemadmodum huc usque vel errore, vel studio partium, quæ non rarò etiam bona ingenia abripuere, placere Romuleo idolo satagêre, ita placare nunc verum Deum omni ope studióque contendant, ejúsque cultum gloriamque inter homines restituere ac propagare laborent.

Vniversis autem, ut de communi consilio ad exemplum optimi maximéque pij Regis Iosiæ 2.Re.22
& populi Israëlitici, & præstantissimorum ducum Esdræ, Nehemiæ, & cęt. templum Dei ædificetis, & errorib' & superstitionib' repurgetis, vósque ad excipiendum æternum Regem, & Sponsum vestrum Iesum Christum sedulò, prout ipsius majestate dignum est, compareris.

Recipi

Esai.1. Recipi autem ille nisi mundum nitidumque in thalamum nequaquam poterit. Quare mittendum spurcissimo Beliali, crudelissimo Abaddoni, perfidissimóque draconi, atque audacissimo nequissimóque Antichristo confestim sineque tergiversatione repudij libellum censeo, & turbanda tollendaque è medio omnia spiritualis turpitudinis atque abominandę cum eo consuetudinis & contaminationis vestigia: quando nulla societas Christo cum Beliale, neque templo 2.Cor.6 Dei vivi cum mortuis simulachris esse potest.

Nec me hoc loco commovet, quòd quibusdam fortè morosior parúmque civilis monitor videar, qui me hoc ipso contentũ esse jubebunt, quòd jam non solùm à supplicijs innocentum beneficio pacis abstineantur manus, sed etiam pax & quies ipsis Ecclesijs renascentibus quibusdam in locis concessa sit. Namque equidem, qui nihil hìc mea, sed omnia Christi, Ecclesię & vestra, ô Belgæ, causa laboro, nullam hìc calumniam aut conviciũ reformido, dum & vos & patriam universam incolumem & salvam Christo lucrifaciam. Fateor itaque ingens esse hoc Dei beneficium, quòd post tantam persequutionum tempestatem ac procellam, tamque densas ac diuturnas errorum tenebras lux tandẽ & serenitas affulserit Ecclesiæ Belgicæ, quódq; flammarum, vndarum, gladiorum terror à cervicib⁹ Ecclesiæ Christi in ipsos Ecclesiæ patriæque cru

delissi-

delißimos adverſarios converſus ſit: eóque nomine Deo ingentes gratias deberi profiteor, qui ſereno vultu ſuo tandem reſpexit populum Belgicum, jamque ſibi ad majora munivit viam. Nam & hæc ipſa mutatio abſtinentiáque à cęde, quaſi confeſsio quædam malæ cauſæ & injuſtæ lanienæ non ſine cauſa videri queat.

Sed ſicut hoc eſt maximum procul dubio beneficium Dei noſtri, ita & maximas ei gratias agere nos viciſſim, & gratis animís oblatam gratiam amplecti, & divitias benignitatis & longanimitatis ejus non repudiare decet. Non enim, ut magnũ eſt Deo, quòd ad nos venerit conſervandos, ita viciſſim ſatis erit nobis, quòd ipſum veniente ad nos non prohibeamus, niſi & ultrò amplectamur & oſculemur filium ejus Chriſtũ, & regno ejus nos ac ſceptra noſtra ſubjiciamus. Nec ſatis eſt Moſi & ducibus Iſraëlis, concedere populo exitum ex Ægypto, & liberum religionis exercitium, niſi & ipſi præcedant in utroque, & exemplo ſuo viam ſternant exæquentque populo. Quid enim magnum & laude dignum alioqui pręſtitiſſent David, Salomo, Ioſias & alij reges, niſi quò ire populũ jubebant, eôdem & ipſi populo præiviſſent? Vobis ergo eundum eſſe primis, Belgæ, principes, præſules & antiſtites, vel nomina veſtra teſtantur: ut taceam interim, ad quid honorum & munerum veſtrorum ratio faſtigiumque vos Deo veſtro Chriſtoque tam

 princi-

principum, quàm sacerdotũ præsulumque Principi ac Præsuli obstringat.

Hoc ergo vestrum est primum atque propriũ munus. Vestra, vestra, inquam, hæc prima, præclarissima, & imminenti periculo maximè necessaria, & salutaris cura. Vester hic labor, Belgæ, vestrum hoc opus, vestra provincia est, debita Deo ac vestrę totiúsque patriæ periclitantis incolumitati: quam non alijs delegare, neque ab alijs exspectare, sed ipsimet suscipere perficereque gnaviter debetis: siquidem aversam à vobis ipsis, à liberis & conjugibus, & ab universa patria gravissimam præque omnibus terroribus maximè terribilem iram Dei cupitis. Ecce

Esa. 49. jam nunc tempus salutis oblatũ monstratumque divinitùs, obvijs ulnis amplectendum prensandumq; manibus pedibúsq; atque omni conatu.

Hodie ergo, hodie, ô Belgæ (non enim pro-

Psal. 95. crastinare præcipitem salutis occasionem perituris licet, quam frustrà posteà sperabimus, si mo-

Hebr. 3. dò spreverimus) si vocem ejus audierimus, ne obduremus corda nostra. Ne obturemus aures, néve obnubilemus oculos nostros fallacibus Sirenum voluptatumque vocib. aut vanis sophistarum pręstigijs ac fumis, quò minùs & vocem Domini clamantis audiamus, & illucescentem

Prov. 28 nobis justiciæ solem aspiciamus: ne & ipse vicis-

Zach. 7. sim pereuntibus nobis seróque vociferantibus obstruat aures avertatque oculos suos.

Sed

Sed sentio, planéque intelligo, nonnullis vestrum ad tam præclaram prorsúsque necessariam provinciá capescendá impedimento esse vanum quendá, neqȝ satis exploratũ, ne dicam stultum, metũ offendendi regis, si quid absente ipso, & (ut credibile est) invito, in religionem, quam pro catholica ipse habet, tentare novaréque ausi fuerimus. Equidem, si in presentia de majestate aut jure aliquo ipsius Regis ageretur, de quo absente inconsultóque ipso constitui nihil posset, & in quo publica salus minimè verteretur, non modò non suaderẽ, sed omni etiá studio dissuaderẽ, ne quid in fraudẽ prejudiciumqȝ regis committeretur. Scio enim, & ex animo agnosco, hác principem esse curá principum, ut ad verum Dei cultum institui populum, & collapsum eum restitui populo satagant. Scio & honorem & obedientiá imprimis magistratui deberi: tum etiá vectigal, tributũ ac similia: eaqȝ quoad vivam, magistratui meo lubẽs gaudensqȝ presto ac prestabo.

Obiectio. *Regis in Ecclesia autoritas*

Et testes erunt mihi locupletissimi, civitates, populi, & regna, quæ Dei benignitate jam restaurârunt, unà cum collapsa magistratus doctrina, & veritatem Euangelij: reformârunt Ecclesias, & germanum sacramentorum, disciplinæ cultúsque divini usum, quàm piè sanctéque ibi colatur Magistratus, ubi hæc doctrina recepta est publicè: ubi à Magistratus imperio nulla populi Christiani pars ullo prorsus

prætextu conditionis, muneris aut ordinis subducere se audet: sed, juxta Apostolicam doctrinam, quęvis anima potestati supereminenti, tan-
Rom. 13. quam Dei ordinationi, non tam metu ac necessitate, quàm libenter & amore ordinationis Dei, propter conscientiam subjecta est. Quin etiam ipsis magistratibus nostris hanc laudem meritò tribuo, quòd ex eadem hac doctrina ita moderari sub Deo supremo Principe potestatis ab eo acceptę habenas didicêre, ut, quemadmodum norunt, nec imperia sua nec obedientiam populi ulteriùs, quàm ad aras usque, pertinere, ita & se & sceptra sua unà cum subditis omnipotenti Deo ac Monarchę omnium, per quem regnare se credunt, subjicere non graventur.

At hic, quia de jure ac majestate summi illius
Coloss. 2 Regis agitur, qui est caput omnis principatus ac
Dan. 2. potestatis, qui confert ac transfert, quocunque vult, imperia: & quia ab hac deliberatione de-
Lex 12. tabularũ Cicer. de legibus. pendet salus publica, quæ secundum jurisconsultos suprema lex est, & si moram fecerimus, excidium patriæ præsens, optima deliberandi faciendiq; ratio erit, quæ divina majestate dignissima, publicæque saluti tutissima fuerit.

Etsi verò maximoperè optandum esset, ut ipsum Regem præsentem, atque, si fieri posset, quod ne sperari quidem licet modò, ceu Iosiam aut Ezechiam aliquem pręeuntem populo suo in re tanti momenti, & ad primã Regum curam

haud

haud dubiè pertinente haberemus: quia tamen, ut prima ea cura est principis, conservare & restaurare cultum Dei sui, sic vicissim solius principis non est, sed & totius populi in universum publice, & singulorum privatim inque commune, pro vocatione cujusq;, agite videamus, quod hic sit populi munus absente vel etiam cessante principe. Et quoniam in nostro principe, quod ad restaurandam Euangelij doctrinam ac reddendam Deo gloriam attinet, in presentia optare id magis, quàm sperare possumus, cùm ob alias, tum ob hanc maximè causam, quòd ille potestatis peneque mancipij alieni, & quodammodo alieno in regno tantùm non captivus pro libidine publicorum Dei & generis humani hostium, ne aspirare quidem ad libertaté veri principis, nedum de tanta re deliberare ac statuere nobiscum possit, frustra id principem nostrum expectabimus nunc, quod nobis universis inj unctum divinitus differre non licet ampliùs, quodque ipsum ne prestare quidem posse, ut maximè velit, & nec velle omnino, ut fortè possit, nemo omnium ignorat.

Enimverò illud, quæso, mecum vnusquisque vestrûm expendat, si vel Iosiæ, vel Davidi similem & repente, non quasi loto aliqua gustata, sed cœlesti quadam divini Spiritus aura, & præsentis Christi splendore ac fulgore mutatum ac transformatum regem haberemus, quid tamen Act. 9.

ab eo ſperandum putemus, qui non ſui, ſed hoſtium publicorum, juris & mancipij, eorum ſtimulis ac furijs agitatus in proprium unicumque filium innocentem, regia atque heroica indole juvenem, tot tantorumque regnorũ ſpem certã, noſtrumque Principẽ, conficto crimine ſævire contra naturã patris coactus eſt: quòd Belgicis injurijs ac cędibus, quæ jam tum parabantur coeptæque erant, graviùs indoluiſſe viſus eſſet.

Et ut uno verbo liberè ingenuéque tandem, quod res eſt, fateamur, nec falſæ ſpei imagine nos ludificemus ipſi, quid (inquam) aut veri auxilij, aut ſani conſilij, aut bonę unquam ſpei de hoc rege nobis pollicebimur, qui jam & pactorum omniũ, & juriſiurãdi tam ſolennis, & officij ſui regalis, & noſtræ majorumque noſtrorũ perpetuæ fidei, obedientiæ, patientię ac meritorum omnium prorſus oblitus, nullo nõ conatu ac ſumtu pertinaciſsimę theomachiæ ſuæ periodum compendioſa totius Belgij internecione abſolvere contendit? Quam clementiam exſpectemus ab eo, cujus in conſilijs ſoli regnant impij illi & immanes Buſirides ac Sylvani, nil niſi cõpendia cædiũ, flumina ſanguinis, interneciones populorũ, & imprimis Belgarũ, ſomniãtes: quorum facib. funeſtis incenſus rex, quaſi vna in pyra univerſam gentẽ nomenq; noſtrũ cõcremare ac perdere, quã vel vnguẽ latum de furore pręcipiti remittere mavult? Quid aũt quęritis, ô miſerrimi

ferrimi Belgæ, quid non ſperanda ſperatis? quid, rebus ipſis contrà clamantibus, fictæ clementię fallaces umbras perſequimini? Aperite ſaltē ocu los aurėſque, abijcite faſcinum. Detrahite perſo nam tyranno, quam jam tandem & ipſe poſt tot ludificationes detractā ſibi projecit palam, dum vos aperto Marte ideò perdere ac jugulare univerſos conſtituit, quòd ipſi, ne ſimul mutuis ictibus voſmetipſos perderetis, & carnificum ſuorū enſibus jugularemini, funeſtiſsimo bello civili finem tandem imponere non tam auſi voluntariò, quàm neceſſariò coacti eſtis. Tanto, videlicet, crimini apud Regem ſuum Belgis eſt, quòd neceſſariam pacem bello inteſtino atque internecino præferentes, vitæ & ſaluti ſuæ ſine rege conſulere, quàm immaniſsimarum ferarum ritu in mutuas cædes ruendo perire, ac iugulari univerſi ſub rege, à rege, & fortè etiam cum rege ipſo, maluerint.

Quamobrē ne, quæ ad gloriam Dei, ad ſalutē noſtrā, patriæque univerſæ incolumitatē pertinent, quęque noſtri & juris & muneris ſunt, & à fide noſtra patria ipſa ſuppliciter edita voce atque comploratione requirit, ea ſtultè ab Hiſpanijs expectemus, ubi nil, niſi cædes & exitia, boletos & aconita odijs plus quàm novercalibus parari nobis, heu nimium ſanè diu, nimiumque certò (utinam autem minore cum clade noſtra) jam ante hac didicimus.

Ergo ab ista noverca, cujus ira fervens, odium flagrans, gratia fallax, os linguáque mendax est, ad clementissimum Principem, optimum indulgentissimumque Patrem, solum verè Optimum Maximumque Deum spe animisque conversi, debitos ei honores dignumque majestate ejus cultum exhibẽtes, consulamus saluti ac paci publicæ, memores tam vocationis, quàm creationis nostræ.

Quòd si à colendo Deo vero ac vivo universa etiam mundi potentia, zelus & furor impius ad impios factitiorum deorum atque idolorum cultus avocare nos velit: terreri nos tamen illo metu, quò minùs memores beneficiorum Dei & nostri vicissim officij, plus Deo, quàm hominibus,
Matt. 22 obsequij prestemus, minimè æquum erit. Nam
Luca 10 cùm omne piorum hominum munus decalogo comprehensum, in duas sit partes, ceu tabulas, distinctum, quarũ priore Dei cultus, altera proximi, id est, hominum cõtinetur: prior cura Deo colendo, posterior hominibus, inter quos sunt & principes, debetur. Verùm tanto hec intervallo post illam, quanto Deus immortalis universa mortalium stirpe major præstantiórque est: hoc est, quanto divina, sempiterna, immensa atque incõprehensa Majestas, misello, caduco exiguóque homuncionum numero, pulvere ac putredine terre excellentior, magnificẽtior, augustiórque in operibus manuum suarum conspicitur.

Porrò

Porrò hujus æterni Principis æternam legem cedere placitis edictiſque mortalium principũ, hoc eſt, miſerorum homuncionum commentis, indignißimum ſanè fuerit. Cùm autem æternæ legis Dei præcipuum caput ſit cultus ejus, meritò & ſuprema lex erit, ad cujus obſervationem nihilominùs, &, ut verum dicam, teſte Scriptura, magis etiam reges ac principes, quàm ſubjecti, ſempiterna & indiſſolubili lege ligati ſunt. *Pſal. 2. &c.*

Sed enim & Iuriſconſulti locupletes authores ſunt, contra naturam rationémque ipſam eſſe, ut legem divinam abrogent edicta placitáque principum: vel, ut rectè illi loquuntur, ſervus tollat legẽ domini ſui. Idem colligunt ex para. tempeſtiuum. l. Ille. à quo. ff. ad Senat. Trebell. legem ſuperioris ab inferiore tolli non poſſe. Quod adeo verum eſſe dicunt, ut ne in parem quidem par habeat poteſtatem, niſi alter alterius juriſdictioni ſeſe ultrò ſubjecerit. Hoc autem de Deo, qui ſolus dat, non accipit imperia, neque in hominum concedit juriſdictionem, dici, niſi impiè, non poteſt. *Gloſ. in l ad hac. C de uſuris* *Ibidem.*

Ante omnia ergo venerãdus, invocandus adorandúſque eſt Deus, creator omnium, Rex regum, Princeps principum, Dominus dominantium: qui ut filijs hominum terram attribuit, & regna mundi diſtribuit, ita ſibi & cœlos in thronum, & terram in ſcabellum pedum, & omnium imperiorum principatũ ſoli reſervavit. Maneant *Pſal. 72. & 110.*

 itaque

itaque animis infixa nostris salutares illæ veręque catholicę regulæ, quas quę convellit, catholica esse Ecclesia non potest: Deum tuum adorabis, eique soli servies. Non habebis Deos alienos. Non facies tibi sculptile, neque ullam imaginem. Non adorabis eas neque coles. Et hæ: Date quæ sunt Cęsaris, Cęsari: & quæ Dei, Deo. Item: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Quibus efficitur, neque liberũ neque licitũ esse populo Christiano, remittere vel omittere Dei sui cultum, aut metu, aut reverentia hominum principúmve suorum, vel ullius omnino angeli aut rei creatæ. Et, principibus quidem alacrem promtamque obedientiã, honorẽ, censũm, tributũ, vectigal & reliqua id genus deberi: obsequia autẽ impia, cõtraria gloriæ Dei, cui prima quæq; vel potiùs, cui omnia debemus, non deberi. Nam cùm ad ejus gloriã totũ mortaliũ genus conditũ sit, eoq; tã principes, quã subditi facti ac vocati sint: & principes quidẽ populi nõ autẽ popul' principũ, causa instituti divinitùs, sacrilega erit illa vel obediẽtia vel reverẽtia, neq; minùs regib. ac populo perniciosa, quæ ad gratiã obsequiũq; mortalis hominis fraudat spoliatq; Deum ęternũ ęterno cultu & honore suo. Nam Deus, qui solus imperiũ tenet ęternũ & infinitũ, tam regũ potentiã, quã populi obedientiã certis legum finibus limitavit: & certam tam illis dominandi, quã his parendi metã præfixit: nẽpe, ut

Exo. 20

Matt. 22
Marc. 12
Luca 20
Act. 4.

Psal. 29. & 24.

gloriæ

gloriæ ipsius & publicæ saluti serviant utrique. Cùm autem hos terminos constituerit utrisque, apparet tam obediētiæ, quàm imperij illic fines esse oportere, ubi gloria Dei, & populi cōservatio vertitur: ultra quos egredi nefas est utrisque.

Vbi ergo princeps muneris sui nominisq; memor ad honorādum Deum suum impigrè præit populo; magna sanè felicitatis reipublicæ pars existimādus, & dilecta Deo procul dubio ea respulica judicāda est, cui tam insigne ac rarum divinitùs contigerit bonum. Talis verò princeps, ut pastor populi, patriæ parēs, alumnus Ecclesiæ, & verus Dei minister, ac publicæ salutis administer, juris legumq; custos, impietatis, tyrānidis ac scelerum vindex, omni amore honoreq; dignus (idque duplici de causa: tum quia princeps est, & Dei minister: tum quia pius princeps, & gloriæ Dei & salutis populi sui administer) pia haud dubiè promtaq; obediētia ad omnia non impia obsequia ministeriaque sequendus erit.

At ubi oblitus officij princeps vel cessat, vel etiā à Deo populum abducit, & p Deo idolum, pro religione superstitionem tyrannicè obtrudit populo: & insuper Ecclesiam Dei vastare, mactare perdereque, quasi immanis draco, publicè contendit: meminerit quisq;, tam tristi tempore Ecclesiæ talem tempestatē, vel ad exercendum accendendumq; pietatis studium, vel ad plectendam negligētiam ac frigus odiumque veritatis

ab ipſo Deo concitatam eſſe. Intereà cogitet, ad quid potiſsimùm Deo, ad quid item Eccleſiæ ac patriæ ſit obſtrictus. Sciat ſibi fas non eſſe, non colore Deum, non profiteri fœdus, non adeſſe atque adhærere Eccleſiæ omnium matri. Si enim ejuſmodi procella, vel ad accendendũ ſtudium, vel ad puniendum odium pietatis, commota eſt, dubium non eſt, quin ſævior etiã tempeſtas adortura obrutáque fluctibus nos ſit, ſi quid ignaviæ ac deſidię temporis dederimus: & niſi omni fide ac ſtudio, velis remiſque in portũ ſalutis atque gratiæ divinę periclitantem Eccleſiæ navem impellimus.

Meminerit populus univerſus, nec liberum, nec integrum tutumque ſibi eſſe, honorem ſummi Principis ſui metu ac reverentiã mortalis homuncionis (quoſcunque tandem gerat ille titulos) abjicere, vel abjectum non reſumere, aut publicam Eccleſiæ patriæque ſalutem prodere. Meminerint proceres ac principes populi, civitates, municipia, univerſitates, & quotquot ordinem in republica ducunt, ac magiſtratum gerunt, ſe quoque gladium publicum non fruſtrà gerere: ut, ſcilicet, neglectum & projectum Dei ſui cultum & interitũ populi ſecurè atque ocioſè

Rom. 13. deſpiciant: ſed credant & ſe eſſe miniſtros Dei,

1. Pet. 2. os & manum regis, duces ac defenſores populi, vindices tyrannidis ac ſeditionum, cuſtodes legum ac diſciplinæ, qui & ipſi gladium ad defen-

ſionem bonorum & vindictá malorum tenent.

Memineritis & vos Præſules, Epiſcopi, Abbates, & quotquot Eccleſiaſtici ordinis eſtis antiſtites, muneris & titulorum veſtrorum, quibus, prôh dolor, etſi abuſi ſumus hactenus, non tamen fruſtra ab initio inſignitos vos eſſe certiſſimum eſt. Cogitate & reſpicite per omnes ampliſsimarum diœceſeon veſtrarũ regiones, quid à veſtra fide & authoritate exſpectent tot eccleſiarum curæ veſtræ commiſſarum numeroſiſſimi greges, qui pabuli cœleſtis, cujus jam guſtum perceperunt, ardenti deſiderio, copiam una voce à vobis ſupplices expoſcunt. Scitote jam hoc ipſum eſſe tempus, quo, quod multis in regnis ac provincijs paulò antè, hac eadem in cauſa, invitis Eccleſiaſticis extortum eſt, id nunc bonitate Dei, & pietate ac modeſtia populi Belgici vos veſtri beneficij facere poſsitis: & quod recuſatũ alijs dedecoris & excidij cauſa fuit, idem vobis, ampliſsimi præſules, præſtitum populo labentis & occiduę dignitatis atque incolumitatis veſtræ confirmationem ac certitudinem viciſſim præſtare queat. Quòd ſi ergo unquam vera fuiſſe putatis hierarchiæ veſtræ axiomata illa, quibus à brachij ſecularis poteſtate juriſdictiones veſtras ſpirituales huc uſque ſubduxiſtis, nunquàm certè veriùs eſſe poterit (quod tamen veriſsimum ſemper fuit eritque, dum erit veritas ipſa) quàm hodie inter Belgas illud: Paſtoribus

& Epi-

& Episcopis Christianis curandum & pascendum verbo Dei esse gregem Christi, non solùm volentibus ac jubentibus, verumetiã (ubi sic Deo visum fuerit probare suorũ fidem & constantiã) invitis ac tumultuantibus inferorum portis.

Mat. 10 &c.

Quanquàm ne illud quidem negligendum vobis, ô boni, quòd sicuti semper frustrà, ne dicam stultè, quęsitum est: an fas licitumque sit illud, quod est necessariũ & inviolabile imperiũ Dei: sic nobis id hodie eò minùs requirendum esse, quòd ea modò inter nos pacisque ac salutis nostræ hostes jacta sit alea, ut nobis per ipsos quidẽ æquè, ne dicam magis, dare gloriã Deo nostro, quã non dare jugulum lictorib. ipsorum, liceat. Neq; enim credibile est, rebus ipsis reclamantibus, magis religioni, quàm vitę nostrę infestos esse istos, quibus non minùs tollere nos ipsos, quàm thesauros nostros propositũ est, quorum vacuam desertamque possessionem quò minùs jamdiu invaserint, magis vitam viresque nostras, quàm religionem obstitisse norunt.

Ad hæc tenendum & illud: Imperia primùm Dei esse, per quem reges regnant, & superbi de sede deturbantur: deinde & populi, qui publicos fasces & majestatẽ suam principi, & in principem contulit: idque non solũ in maximo illo Romanorũ imperio, sed & in alijs bene constitutis rebuspublicis verũ est. Nã immoderatas & legibus solutas dominationes, ubi principatus

Prov. 8. l. 1. ff. de constit. princip. Fr. Hotomanni Frãcog. Froßard.

rapti captique potiùs, quã dati & accepti fuerũt, (cujusmodi olim Persica, hodie Turcica imperia videmus) tandemque in tyrannides apertas evaserunt, non moror. Cùm enim, ut jam dictũ est, imperiũ suum in eos populus contulerit, & ipsi legibus vivant, non propriã, sed publicam potestatem gerere ipsos: neq; tam dominos populi, quã Dei & reipublicæ ministros esse manifestũ est. Qua de causa & additi summis imperijs semper fuêre minores magistratus, ac senatus principum, non solùm juvandæ, sed & frenandæ potestatis (si fortè ad tyrannidẽ aspiraret) causa, traditæq; non minùs imperandi, quã parendi leges.

Phil. Beroaldus. & c.

L. digna vox. C de legibus.

Rom. 13.

Certè extra controversiã est, & in imperio Romano, cujus hodie dignitas apud Germanos est, Cęsarẽ: & in nostra Belgica principẽ, nõ nisi certis conditionibus, legibus, privilegijs, ac principũ ordinumq; senatu circunscriptam potestatẽ tenere: ut multis testimonijs pactorum & exẽplis rerũ ostendi potest. Adeóque hic mutua est obligatio inter principem & subditos, mutuumque perduellionis (vel, ut leges loquuntur, feloniæ) crimen: ut non tantũ Imperator Imperij, & Rex regni, primus sit cliens, verumetiã propter delicta sua tum Imperatores tum Reges loco motos, & in ordinẽ redactos testentur annales. Etsi autem in principes suos exorbitãtes mitiùs consuluerint majores nostri, jus tamen suum adversus eos non uno sanè exemplo persequuti sunt.

Lætus introitus.

De feud. lib. 2. de forma fidel. lib. 2. de feu. qualit. dom. prop. feudi. pri. & alibi.

Quòd

Quod autem ad noſtrum modò principem attinet, planè invitus dico, invitus credo, nec lubens audio, quòd jam res ipſæ, & tantus in noſtrum exitium armorum apparatus, ad perdendum, quicquid ſuperioribus calamitatibus in Belgio adhuc ſupereſt, comparatus non tam ædita voce, quàm rebus, hoc eſt, ferro & flammis, medio in Belgio graſſando, vociferantur. Hæc & credere nos, & audire, & videre & vociferari cogunt vicißim, atque implorare alienam opem adverſus proprium non jam principem, ſed perniciem ac peſtem noſtram, quique tempore tam triſti nos non ſolùm prodit deditque hoſtibus, verumetiã perdit mactátque cum hoſtibus, ceu rabida fera proprium corpus. Sed quid ni tandem, ô Belgæ, talem accipitis leonem, qualem ipſe nõ ſolùm publicis edictis, ſed & rebus tam apertis à vobis æſtimari ſe jubet, remiſsis ad internecioné omnium ſævißimis ac perfidißimis latronibus, in quos ob perpetratas hìc cędes & infinita flagitia animadverſurum ſe falsò promiſerat. His cùm priores lanienæ atque rapinæ nunc ſint, ut omnes videtis, authoramẽta novæ militiæ, atque exitij totius nominis Belgici, dicendúm ne, aut omnino credendum, fieri hæc vel neſcio, vel invito rege? Verùm neſciat hęc rex, & fiant (ſi placet) nolente ipſo, quæ faciunt adverſarij. An vel ſic ſperare unquam juſtiorem actionũ ac defenſionis noſtræ occaſionem

poſſu-

possumus? Defendemus enim tam illius, quàm nostram causam in communē hostem Sed videt ille haud dubie probatque, quæ patimur: & interim dum patimur, dum consumimur, dum opem ab ipso frustrà imploramus, ipse se, ceu Sardanapalus aut Heliogabalus quispiā, abdens in ultima Hesperia inter scortorum lenonumq; greges, surdas & furiarū sycophantarumq; calumnijs obseptas aures à clamoribus & ejulatibus afflictæ oppressęque reipublicæ avertit, precesque nostras ac libellos supplices Sylvanis carnificibus laniendos, non legendos tradit. Vt verbo dicam, ita jam se nobis patefacit, ut qui hactenus nihil non malè, jam illud unum optimè in Belgas consuluerit, quòd larvam ac personam clementiæ invito à nobis affictam palàm tandem projecerit, cui si vel oculos nostros effossos unà cum opibus ac patrimonio dederimus, quin tamen rebelles &ultima queque cōmeriti ei videamur, nullo unquam obsequio consequemur. Nisi ergo causam ipsi nostram damnamus, quo jure nos in tanta tamque necessaria causa retineri ab eo, tamquam principe, patiemur, cui nulla in re (siquidem salvi esse cupiamus) subditi esse possumus?

Verùm illa scrupulosiùs investigare modò, hujus instituti non est, ubi non de redigendo in ordinem Rege nostro (nisi se ipse in tyrannorum ordinem fatumque præcipitet) quem secun

dum Deum obsequio colere, non cogere impe-
rio volumus: sed de non cogendo in ordinem
ac pulvinaria deastrorum idolorumque Domi-
no Deo nostro, déque salute, pace atque incolu-
mitate reipublicæ deliberatur: quæ consultatio
sicuti cum Rege præsente rectè atque ordine, sic
sine eo, vel absente, vel ægrotante, vel alienæ ty-
rannidi subjecto, piè ac necessariò suscipietur.

Valeant ergo insipida putidaque quorundam
malè feriatorum deliria, qui ita infinite unius do
minatui immodico subjectum universum Bel-
gicæ reipublicæ corpus imaginantur, ut nihil va
leant leges & pacta conventa juratáqꝫ: ut omne
discrimen singulorum atque universorum, cer-
donum & procerum, idiotarum & principum,
plebis & populi, prorsus confundatur. Facessant
atque evanescant vanissima, ignavissima, ingra-
ta in Deum, inimica patriæ ac saluti publicę so-
mnia delicatorum istorum ollæ & aulæ, ventris
atque inguinis mancipiorum, qui invitis legi-
bus & ratione, omnia liberrimi populi jura, &
commoda fisco, vel potiùs, deliciis mensisque
principis: hoc est, libidinibus ac voluptatibus
suis, ita mancipant, ut ne in summo quidem pa-
trię ac religionis discrimine idē populo univer-
so ad avertendam publicā perniciem concedant,
quòd etiā servis in dominos leges permittūt: &,
juxta proverbium, misceri incendio terram, fra-
ctumqꝫ illabi orbē totius mundi, quàm de volu
ptati-

ptatibus, delicijs ac libidinibus suis vel tantillum decidi malint. Nou enim hîc privatam rem agimus, in qua sanè singuli à magistratu affecti injuria, vel tractati inclementer, pia patientia possidebimus animas nostras, neqȝ ordinē politicū turbabimus: sed de colendo Deo summo Principe, & restinguendo publico patrię totius incendio, avertendaque à nostris cervicibns ira Dei in commune consultamus, cui tam necessariæ consultationi pręponi dominatum injustum unius vel paucorum hominum indignissimum profectò ac miserrimum fuerit.

Iam si ne ipsi quidem aulicarum deliciarum patroni æquum, aut omninò ferendum esse putabunt, ut dignitatem & jura sui principis, libidini præfecti cujuspiā in fraudem principis condonent subditi, quantò iniquius indigniúsque fuerit, nos tanti Monarchę majestatem, cui adorandæ peræquè princeps ipse ac populus devinctus est, libidini, sævitiæ, vel inscitiæ hominis, quamvis eximij, gratificari?

Adde, quòd omnia ad remorandam piam hanc curam obstacula, si rectè examinentur, nō tam Regis nostri justa liberaque authoritate, quàm Hispanorum & totius novitij ac inquisitorij Hispanicique sacerdotij (quorum superstitioni præstigijsque ac tyrannidi devotus & planè mancipatus Rex vel fascinatur, vel obtorto collo abripitur in istorū laqueos) commentis,

 fraudi-

fraudibus, calumnijs, consilijsque funestis hucusque nituntur. Atqui horum injusta, impia, exlex atque usurpata tyrannis nihilo magis justiúsque nos astringit ad eam, quæ legitimo magistratui debetur, obedientiam, quam vicinos nostros, Helvetios, Svecos, Danos ac Britannos, qui nō sine summa & Dei & sua laude à superbo & orbi Christiano exitiali, & posthac intolerabili jugo papatus in pristinam libertatem Ecclesias suas asseruerunt. Hispaniorum autem ut injustam violentámque dominationē ac vexationem divinis auxilijs jure tandem excussimus, sic impium & inimicum assensum stultè requiremus: quippe quos omnis pietatis expertes, religionis inanes, juris legumque nostrarum violatores superbissimos, & pudoris omnis ac sensus humani oblitos expilare scrinia nosttra, ferire jugulos, violare virgines & conjuges, quàm repurgare templa, conservare patriam, & vindicare pudicitiam virginum, juvenum ac matronarum nostrarum malle certum est.

Proinde justa hęc religionis cura erit, quia pia: licita, quia necessaria. Pia verò & simul necessaria nemini non pio videbitur, quæ pro gloria Dei nostri, & salute charissimæ patriæ jussu imperioque ejusdem Dei, propè edita voce ac ploratu periclitantis patriæ & Ecclesiæ nobis publicè injungitur. Harum autem miserari calamitatem, & illius venerari majestatē, atque ad præ-

ſcriptum verbi cœleſtis ſaluti paciſque publicæ conſulere, cum qua noſtra omnium, atque adeò (ſi ſaperet) ipſius Regis ſalus ac dignitas verè cõjuncta eſt, id non lędere, ſed ſervare: non minuere, ſed auguſtam reddere: non violare, ſed vindicare eſt publicæ poteſtatis majeſtatem.

Omiſsis ergo ſtultis quæſtionibus, ſequamur vocem & inſignia ejus, cujus conſilia repudiare, & imperio morem non gerere, verè majeſtatem eſt lædere, certumque rebellionis crimen admittere: qui ut contemtum ſui graviſsimè ulciſci, *Deut. 28* ſic & cultum & obedientiam mille in generationes *Exo. 20* gratia ſua proſequi ſe velle affirmat. Quod quò meliùs majoréque cum fructu facere ac perficere poſſimus, ne conſilium capiamus *Galat. 2.* cum carne, nec etiam cum ſpiritibus impoſtoribus ſeductoribus atq; immundis, qui quicquid ſimulent ac diſſimulent, dicunt tamen in corde ſuo: Non eſt Deus. Audiamus autem illum, cu- *Pſal. 14.* jus tuta ſalubriaque magis ſunt, quàm mollia *Luca 9.* blandaque prima fronte conſilia. Dedamus nos illi totos, & citra hęſitationem ſoli ſerviamus ei, qui ad adorandum ſe ſolum omnes vocat.

Neque reformidemus eventum, quaſi ad tutandos cultores ſuos aut in dextera Dei robur non ſit, aut in providentia conſilium, aut in voluntate benevolentia. Qui ſi ſtabit à nobis, (ſta- *Rom. 8.* bit autem, ſi filium ipſius Ieſum Chriſtum Re- *Pſalm. 2.* gem noſtrum verè ſereniſsimum oſculabimur,

Deut. 11. 28. eiq́ue bona fide serviemus) quas aut mundi vires, aut artes Antichristi nobis extimescendas putamus? Nam ad Hispanos quod attinet (qui, quòd hospitij quoque tesserá apud suos hîc pridem fregerunt, perquàm paucis non exsecrabiles sunt, hodie, opinor) eos, quomodo nosipsi, irato nobis Deo, ignavia nostra hactenus in nostra viscera feroces potiùs, quã fortes, fecerimus: utpote gentē in subjectos, inermes jacētésq; magis sęvam atq; terribilē, quàm fortē ac strennuã adversus stantes, armatos ac repugnātes, cũ varia fortuna nostra tũ Hollandia Zelandiaque, & prę cęteris Harlemiani, Alcmariani Leidaniq; muri fortiùs sanè defensi, quã oppugnati, testabuntur.

Et nos, si posthac dicto audientes fuerimus Deo, cujus potenti dextera tam gravi modò jugo levati sumus, ejúsque ductum sequentes viros nos in bona causa pręstiterimus, intelligemus, non tam fortitudine istorum, quàm ignavia ac timiditate nostra nos ad hunc usque diem succubuisse. Videbimus sæviorem, quàm saniorem, majoribus odijs, quàm viribus, hunc hostem bella gerere. Sentiemus, & sentient ipsi: sentiet & orbis Christianus id, quod res est, nos hactenus non istorum virtute, non armis ac viribus Hispanicis sed manu ultrice, & judicio divino afflictos esse: eamq́ue ad rem istos nil nisi virgã furoris zeliq́ue divini fuisse, ad puniendã Esa. 10. &c. rebellionem nostram contra Deum nostrum,

non contra istos atheos, quibus nullo parendi jure unquam obnoxij fuimus, commissam.
Denique sentient ipsi, adjuvante Deo, & agnoscere cogentur Hispani (quandoquidem jam iterum in nos majore, quàm unquã, aviditate sanguinis & prædæ Belgicæ pręcipites, & stimulati cùm suis tum Romani Pontificis Erynnibus denuò terribili cum apparatu, ad violandam religionem, vel potiùs ad diripiendas fortunas nostras, ad stuprandas virgines, cædesque faciendas, cœca rabie furoréque in nos involârunt) Belgis ut ante hunc diem consilium auxiliumque divinum defuerit, non defuturum posthac: sed revicturum, propicio Deo, & jam quodammodo revixisse ac reviguisse quoque veterem illam & antiquis etiam monumentis celebratã fortitudinẽ bellicã. Atq; hoc minùs abfuturã reconciliatis opem, manumque adjutricẽ Dei, Domini armorũ omniũ, quòd jam seriò puniendis illis, qui adversus Christũ nimiũ diu atq; insolenter erexêre trophęa, & baculo suo ac fortitudini sacrificavêre, sese divina comparavit ira. Vnum illud etiã atq; etiã cavendũ accinctis, ne, quorũ arma viresque possumus non metuere, in eorũ fraudes insidiasque incauti incurramus.

Has autem quò tutiùs ac feliciùs evitare possimus, resumendã nobis atque imitandã imprimis majorum nostrorum virtutẽ judico, neque detrectanda ipsis militiæ munera, nec refugiẽda

pericula pro Christo & patria: neque porrò com mittendam peregrino ac mercenario militi salutem patriæ. Etsi enim meritò gratias agere immortales debemus illustrissimis principibus, quorum fida & necessaria ope tempore nostro tam necessario promtissimè adjuvamur, tamen hoc magis nobis pro nostris focis & aris, pro liberis & conjugibus, pro tectis ac solo patriæ alacriter promtéque dimicandũ erit, quò plus à nostra fide requirit propria patria, quàm à peregrinorũ auxilijs aliena. Multiplex enim experientia tam nos, quàm vicinos nostros Gallos penè omnibus in conflictibus edocuit (quod contemnendum sanè non existimo) nos, sicuti de hostium nostrorum perfidia dubitare amplius non possumus, ita vicissim de fide eorum, quos non tam publicũ periculum, quàm prædæ ac stipendiorum spes (de mercenarijs ipsis, non ducibus loquor) concivit, quod certò nobis polliceamur, non habere. At quorum periculum résque ipsa agitur, quibúsque non de stipendijs, sed de vita ipsa fortunísque simul periclitandum est, hos timidos ignavósque esse necessitas & pericula nõ patiuntur. Proinde & nos, ô generosissimi Belgæ, excitemus in nobismetipsis virtutem ac fortitudinem majorum nostrorũ: & quando omninò non absque Theseo (quod dicitur) periclitandum, periculorum magnitudo suadere nobis videtur: saltem cum Theseo pugnare pro gloria

Dej

Dei & ſalute patriæ ne detrectemus. Maximè autẽ timendum, ne per ſpeciẽ fictę reconciliationis perniciosa credulitate notiſſimas nocentiſſimaſque viperas, aut illarum loco, quod perinde eſt, devota illis & mercenaria mancipia iterum gremio excipiamus. Quod ſane non monerem, (quia, ſi Deum audiemus, non erit metuendum) niſi me moverent perditorum quorundã & impiorum civium, tam patriæ quàm Dei hoſtium peſtiumque, quotidiani neque occulti conatus: qui cùm ſe neque cum Hiſpanis commodè ſatis, neque ſine illis lautè vivere poſſe credant, piſcari in turbida, ſervire impuris hoſtibus cum patria, ſupereſſe rogo ruinęque totius reipublicę ac famæ ſuæ, quàm adeſſe patriæ, ſervire Deo, & cum republica (ne videlicet proditionis merita pridem præmia ferant, quæ tamen potientibus rerum Hiſpanis dominis ſuis, nequaquã poterunt evitare) ſibi quoque conſulere malunt.

Vtinam autem hanc nobis mentem hóſque animos det Dominus, ut eorum conſilia, qui hiſpaniſant (quæ certè non ſunt obſcura) maturè proviſa maſculè diſſipemus: & à fœderibus inq; fœderibus Hiſpanicis (ſi quæ tamen ſalvis rebus fieri poſſunt) caveamus: magiſque gloriæ Dei, ſaluti quietique publicæ ſtudeamus, quàm fallaci, brevi, próque libidine illorum mox rumpendæ umbræ pacis, ad quam eludendam notum in nos odium ac perfidia, primam quam-

que occaſionem dubio procul arreptura eſt.

Novimus enim, atque, heu, nimium novimus, ingenium gentis crudele & ſanguinarium. Novimus & ſtudia barbaricæ ultimæque perfidiæ, non ſolùm libris, ſed & rebus crudeliter impieq; geſtis tam hîc, quàm vbique terrarum expreſsis. Non eſt fides, inquiunt, ſervanda Turcis, minùs hereticis, omnium verò minimè ſubditis perduellibus: Non eſt princeps alligatus fœderi nec jurijurando eum armatis ſubditis facto. Oportet principem aliquando eſſe virum non bonum. Ecce digna utraque Heſperia hodie axiomata. En vaticinia non Delphicæ, ſed Hibericæ tripodis, & cruenta non Apollinis, ſed Apollyontis oracula. Cùm autem nos omnes uno rebellium & hæreticorum loco reputemur Hiſpanis, quòd non ſtatim juſſas ſecuri cervices dedimus, nemo non animadvertit, opinor, quàm fidam certámque cum iſtis pacem ſimus habituri, quorũ ambitioſa & ſæva conſilia jam quadraginta plus minùs annis eò ſpectárunt omnia, ut redacto in novi regni formam toto Belgio, ad perfectam obedientiam (ut quidẽ loquebantur) nos adigerent: hoc eſt, ut ruptis omnibus legum juriſque vinculis, mancipare libidini, avaritiæ, crudelitatique ſuæ nos noſtráque omnia poſſent. Huc nimirum ſemper tetenderunt cùm omnes infracti juris abolitarumque legum noſtrarũ artes machinæque, tum & mutatorum ſubinde rectorum

noſtrorum conſilium: cùm ad implendum tanti cœpti votum deſideriumque calidiſsimum, propter obſtacula legū & jurum noſtrorum, vix quiſquam ſatis idoneus inveniretur. Itaque primùm alienigenis, tum etiá mulierculis cōmiſſa noſtri cura fuit. Credo, ut earum imperijs effœminata in nobis fractáq; virtute avorū noſtrorum, nullis bellis, aut magnis rebus gerendis adhibiti, ſed tantū negociationibus noſtris dediti, & modò non cauponantes cum Lydis, poſteà à Saturninis illis Albanis ac Requiſæis leonibus, quorum ungues poſteà (ſed non niſi devorato prìus hamo) ſenſimus, tractari, mactari ac jugulari faciliùs poſſemus. Mulierum ultimam Parmanam habuimus dominā, perutilem quídem illam Hiſpanorum deſiderijs, & innutritā diſciplinæ ſoceri ſui, & Machiavelli magiſtri: ſed ad perdomandos Belgas, ad ſuſtinendū bellū, & maximè ad eam, quę parabatur, lanienā minùs maſculam, quàm quæ tantis ſanguinis fluminibus fundendis ſuffectura videretur.

Huic ergo ſubmiſſus eſt, melior pejerandi trucidandique artifex, & ſanguine Germanico Neapolitanóque adhuc rubens madénſque, ac libidine perjurijſque delibutus Albanus, cujus, ut reliqua taceam, editam nuper apud nos ab immitiſsimo immaniſsimóque parricida (horrendum nefas) nobilium procerumque, & imprimis illuſtrium duorū principum Hornani & Egmon-

Egmondani injustissimam, immanissimam, tristissimam, & ab ipsis etiam Hispanis, sævissima alioqui gente, defletam lanienam, incredibili ausu, detestabili perfidia calcatis & protritis legibus jureque gentium, ad ignominiam ludibriumque sempiternum victæ ac triumphatæ Belgicę Germanicæque nobilitatis perpetratã, quis nostrûm non meminit? Cujus aures re tam recenti non calent? Cujus adhuc sicci lachrymis sunt oculi? Sed & ille, rebus aliter, ac speraverãt, cadentibus, cùm sævioribus, quàm sanioribus, consilijs non satis artificiosè epitasin urgeret, ad peragendam cruentã hanc fabulam tandem inutilis est visus.

Remoto itaque Albano, vel potiùs Hibera in tarta a remisso, suffectus est Requisęus, qui quòd Mauros fœliciter fefellerat ac straverat, Belgis quoque perdendis idoneus est visus, religioso ille quidem habitu, sed tamẽ Saturni & ipse proles (quippe quem & natura & mores sui, & fors. mors denique ipsa, totum atrum pinxerant) & cujus impressa Hispanijs inaudita in Mauros, & simul in suos duces fraudis perfidię & crudelitatis vestigia documento sunt nobis, qua fide nobiscum acturus, quas calamitates daturus, quásque editurus strages fuerit, si vacuam sine pulvere ac vulnere stationem invenisset. At istum, quò minùs meditatam catastrophen conceptæ animo tragœdiæ fœliciter imponeret, cùm fama ipsa,

ipſa, quæ ex Hiſpanijs præcurrens venturi leonis vngues Belgis præmonſtraverat, tum & aliæ difficultates diuturni magiſque ardui, quã putârat, belli, tandemque & mors improviſa, quę incautum, & Belgarum cędes magis, quam proprium fatum, meditantem in ipſo actu hominem intercepit, inhibuerunt.

Tandem ergo & hic Auſtriacus eſt miſſus, ſimulandi, diſſimulandi jugulandique artibus palmam ſuperioribus erepturus: & ſi minùs vi aperta, ſaltem vel inani pompa nominis Auſtriaci ac titulo regię fraternitatis, vel etiam terrore bellicæ virtutis, atque oſtentatione trophęi Turcici, vel tandem fictæ cujuſdam humanitatis illecebra lenocinioque in antiqua, & jam Dei beneficio totiens vitata retia faſcinatos Belgas, ceu ſtultas aves, incautos pelliceret ſimul & percuteret. Qui hoc voto potitus, & victis, proſtratis, afflictis triumphatíſque reliquis provincijs elatus, ipſum deinceps cum ſocijs Hollandis Zelandiſque Aurantium principem (hunc namque ut unicum fidiſſimum fortiſſimumque aſſertæ patriæ Camillum, & repreſſę barbaricę violentiæ ſævęque tyrannidis Hiſpanorum, Cacorum, Lycorum aliorumque monſtrorum domitorem & Herculem invictiſsimum feliciſsimumque peſſimè odit) ab aliis deſertos vel virib. opprimeret, vel fœdere captioſo illaquearet. Huc autem tendiſſe & quaſi collimaſſe omnia hominis con-

silia & actiones fatebitur, quisquis vel non stultè ad fatalem hamum devorandum ducitur volens vidénsque, vel ex occasu ac ruina proditæ patriæ miserrimum à tyrannis lucellum favorémque non piscabitur in turbida. Quid enim non fecit? Quid non simulavit ac dissimulavit? Quem non in Prothea vel Chameleonta se vertit, postquàm primùm pedem in Belgio posuit? Et denique, ubi elusas vidit artes vitatósque laqueos suos, quos non fluctus concitavit? quem non movit Acheronta, ut & votorũ suorum & pollicitorũ, tam exercitui suo, quàm Regi quoque ipsi factorum compos totum Belgium indigenarum sanguine maceratum, & habitatoribus nudatum, in prædam latronibus suis divideret? Itaque non injuria nuper quidam ex ista latronũ superba atque impia manu per ludibriũ jactasse dicitur, ludos tantùm fecisse Albanum & reliquos hactenus. Vnum Austriacum aliorum ludis & fabellis adeò cruentam catastrophen impositurum, cui diluendæ vix omnia Belgij flumina & maria sint suffectura.

Fruantur ergo hoc Iano bifronte, bipatre, bilingui, & fidei animique, cùm erga omnes Belgas ac Deum ipsum, ancipitis, tum unum mysticum illum parentem suum bona fide referentis, catulo Apollyontis, qui volent: fruatur & ipse quibus volet, mercenariis, mendacibus, venalibus canibus & corvis, sophistis & lanistis, veris parasi-

parasitis, trapezitis ac muribus palatinis, & non uno culeo & equuleo dignis amicorum, ptopinquorum, liberorum, conjugum, parentum & patriæ denique ac Dei ipsius patrij (quantum in ipsis est) proditoribus, qui verarum laudum inopia, fictis maléque conquisitis encomijs suum illum verè illaudatum laudent Busiridem. At nos, si sapimus, si prodere dederéque nos ipsos, unà cum patria, crudelissimis hostibus nostris atque impijs perduellibus patriæ, unóque in rogo universi conflagrare nolumus: si denique, à quibus in Belgium, cum quibus, contra quos, ad quid, & quorum in locum novus hic Tryphon atque Olofernes sit missus: & quid modò, quantis cum dolis, calumnijs, apparatibus in perniciem ruinámque Belgij ac Germanię moliatur, vel aspicere saltem volumus (ut taceam interim, quomodo efferato huíc rabidóque leoni ac belluæ fræna modò laxârit, & stimulos simul addiderit fatalis ille orbi Christiano Romuleus draco, cujus nutum numénque ad cædes ac scelera proclamantis solùm observant isti, pollicens Hispanis & hispanisantibus omnibus, si ad castra istius, hoc est, ad prædas ac strages nostras impigrè accurrant, præter alia omnium quoque scelerũ veniam) vel his ex vnguibus, juxta proverbium, cognoscere leonem, & simul felicis, scilicet, gubernationis Austriacæ ductúsque specimen prævidere possumus.

Nul-

Nullis ergo fucis verborum opus eſt, nihilq́ȝ dicendũ jã amplius cauſę, quo minùs nobis, hoc rectore ſummiſſo, non tam remiſſum aut mitigatum ſupplicium, quàm mutatum atque exaſperatum carnificem ſicuti (heu dolor ac dedecus noſtrum) nimium haud dubie ſerò, ita tamen aliquando apertius, quàm optaremus claroque in meridie videre, vel inviti, cogamur. Vtinam autem averſum à nobis in ipſos tantarum fraudum ſcelerumq́ue conſarcinatores abominandũ omen periculumq́ue convertat propitius providúſque patronus populi ſui Deus Opt. Max. Etenim poteſt ille, ſi volet: & volet procul dubio, aderitque in tempore cauſę ſuę ſuiſque laborãtibus, ſi per contumaciam noſtrã poterit: hoc eſt, ſi nos & ſervire ipſi, & ſervari ab ipſo volemus, & opem armaque ab ipſo data ad ipſius potiùs gloriam patriæque ſalutem, quàm in leges nutumq́ȝ communium hoſtium deponemus.

Ad hęc autẽ vetera atque inveterata Hiſpanis odia gentis nominiſque noſtri accedit illud, quòd jam irritatos mora bellóque diuturno, tamq́ue ipſis moleſto, quàm utriſque noſtrum funeſto, atque inſuper inexſpectata, neque magis decora nobis (mactandi enim fuerãt, qui mactaverant, ne juxta ſuam ipſorum parœmiã mordere mortui potuiſſent) quàm ipſis laudabili miſſione, multò, quàm unquàm, ſæviores habituri

ſumus: multò quoque magis fœdera, quàm arma eorum metuenda ſunt. Cùm enim & fames & ſitis & mora tam diu expectatæ, tandemque & ereptæ laniena ac prædæ compendiariæ totius Belgicæ (Antverpianam enim quamlibet immanem pro nulla ducunt) bilem haud dubiè plurimam in nares conciverint iſtis, videndum, quo pacto, & an ullo omninò pacto tam immites feras, tam famelicos ſitibundóſque urſos ac pantheras denuò admittendos putemus.

Poſtremò, quòd omnē nobis oſcitantiam ſomnumq; excutere debet (niſi ruinæ ac panolethriç patriæ indormiendo videntes & oſcitantes opprimi volumus ad unū, cujuſlibet loci, ordinis, profeſsionis & conditionis omnes) ipſorum nos Hiſpanorum & proditorū noſtrorum pernicioſiſſimis conſilijs refertæ literæ, jam ſæpiùs & pridem Dei beneficio interceptæ, quid de vobis univerſis ſtatuerint, univerſam fraudum ſcelerumque immaniſſimorum rationem & conjurationem edocuerunt.

Sed quid literas Hiſpanorum interceptas dico? Iam enim palàm libellis editis & armis copijſque comparatis perſonam larvamque exuit: belliq; diu diſſimulati ſignū publicè propoſuit Auſtriacus. Quinimò & ipſe, ipſe, inquam, Sanctiſſimus Pontifex non jam clandeſtinis literis, ſed apertis, & quidem per totum orbem Chriſtianum publicatis diplomatis in prædam nos

exponit vulturibus suis, & belli contra nos internecini signum effert manifestum, concitatis iterum sonoro classico omnibus mancipiis, fugitivis, pestibus, harpyis ac monstris Averni. Et quia omnium rapacitati non suffectu-ras facultates vestras providet oculatissimus Argus, ad pristinas jamque beneficio Dei propemodum obsoletas opes suas sese convertit, & divites Pontificalis opulētiæ thesauros, largósque indulgentiarum sinus in sacrum autolycorum & latronum suorum exercitum liberalissimè pandit effunditque.

Quodque observatione dignum est, & cùm omnibus nobis, tum maximè Ecclesiastico ordini seriò perpendendum, omnes in universum Belgæ promiscuè, cujuslibet professionis atque ordinis, palàm proscribimur, & immanibus infestissimarum ferarum rictibus objicimur, dum tanta cura atque impendio ad Ioannis Austriaci signa exitium præsens universo Belgio minitantia milites suos effundendo sanguini nostro consecratos proficisci iubet Pontifex. Et qui hactenus omnibus in turbis bellisque civilibus mira arte ac mille cuniculis (præsertim in Germania Galliaque) Ecclesiasticum ordinem à reliquo ordinum corpore divellere semper est solitus, is modò nos universos simul adoriri tanta cum fiducia successus constituit, ut non tantùm non parcere vobis Ecclesiasticis, verùm ne

fallere quidem vos velit amplius. Tantæ, nimirum, sunt, tamque implacabiles sacrati pectoris iræ: Tantus simul contemtus virtutis ac nominis Belgici. Tanta, cùm in omnes Belgas, tum verò in vos præcipuè Præsules, à quibus se jam non solùm deceptum, sed & delusum contemtumque indignatur, insania & rabies, ut ne dissimulandum quidem ampliùs more solito putet, quin universos aperto Marte citràque dolum malum, cujus consilia non ratio repudiat, sed præcipitat furor, invadere decreverit.

Nam unde alioquin huic effœto leoni, vel potiùs exoculato Cyclopi nova hęc atque, tam ipsi, quàm omnibus Pontificibus inusitata generositas, nisi quòd jam exhaustam Germanicis, Anglicis Gallicis, Belgicisque bellis ac tumultibus ipsam omnium insidiarum fraudumque nimis notam jam omnibus pyxidem, desperatio ipsa dolorque erepti Belgij, hoc est, unici sui per Germaniam luminis, in ipsos Belgas solo indulgentiarum flatu crepitantem, id est, vanam omnino sine veris armis, consilijs, animis ac viribus iram cœca ac furiosa manu projicit potiùs, quàm conijcit. Neque enim credibile est, hominem repentè factum teterrimum ac tortuosissimũ hoc monstrum, cujus exitialibus facibus & flammis tot jam annos turbatur, permiscetur & ardet orbis Christianus, deflagrat planèque consumitur Gallia & Belgium: ut reliqua regna omittã.

Cujus perniciosissimis consilijs fraudibúsq; per infinitas cædes ac strages, prædas & libidines, cùm alijs in locis, tum nostro in Belgio & Gallia vicina per multos jam annos exercitis cedere coguntur omnes & veterum & recentium historiarum ac tragœdiarũ Ochi, Busirides, Nerones, Atrei, Bajazethes ac Selymi parricidę atque tyranni.

Furor ergò hęc arma non ratio, desperatio non virtus in vos maximè, Pręsules, extorquet Pontifici, nõ ideò tantùm, quòd nec amicis quidem parcitum velit, dum unà pereant & inimici: sed maximè, quia (quòd semper tam Romæ, quàm in Hispanijs jactatum fuit): Omnes Belgas hæreticos & Lutheranos esse citra ullam exceptioné loci atq; ordinis cõstet, quandiu, quod in miseros Hispanos potest solus Pontifex cum suis, non idem etiam in Belgas simul & Pontifex & Hispani inquisitores possint. Ad quem conatum suum omni ope juvandum, quanto vos magis, quàm reliquos Belgas, sibi devinctos credidit, tantò nunc, delusus ac spe sua dejectus, vos odit ardentiùs infensiúsque.

Vt ergo mirum non est, amplissimi Pręsules, vos omnes omnibus hodie, non modò Belgis, sed & canibus pejùs & anguibus exosos esse Pontifici: ita magnoperè profectò mirum, absurdũ & incredibile dictu est, quisnam nos miserabilis Eros, quæve feralis Cupido in istius inamabi-

lis Acherontij ac Stygij Charontis amorem fascinaverit ac dementaverit. Quid juvat, ô boni, vel cum injuria vestra ac publica, emendicare favorem sævissimi Cyclopis, & placare frustrà Romuleum illum Gigantem implacabilem, cui calcanti leges & religionem, oppugnanti cœlum ac terram, nulla alia lege, nullo omnium superstitionum cædiumque obsequio placere poteritis, nisi protritis & ipsi legibus omnibus, projecta & numinis ipsius reverentia ac sensu, prodita deditaque in miseram servitutem & horrendam lanienam patria, tandem & vos ipsos vinciendos, vexandos, mactandos jugulandósque in sacrificium manibus faucibúsque crudivori & anthropophagi istius Cacolyci ultrò objiciatis? Neque enim ulla quamlibet immani hostia, nisi cæde promiscua atque internecione universi Belgij furiali huic Gregorio, nec alijs, quàm funestarum nuptiarum cædiumque humani generis curis tot jam annos invigilanti, litari posse certissimum est, quippe cui nullus, nisi universo Christi grege jugulato ac perdito, somnus jucundus gratúsque rigentia scelerum cędiumque pervigilijs lumina in quietē componere potest. Et quoniam pridem cognovimus, quo loco simus omnes Pontifici, qui internecione nostra colophonem imponere occiduo pontificatui, & parentare immanibus manibus suis gestit: quo item Hispanis & maximè Albano lictori, &

hujus sævissimi Busiridis quondam carnifici, qui neminẽ Belgarũ crimine majestatis eximi posse dictitabat, fallitur quisquis vel addi quicquã peccatis suis, vel placari sibi Põtificẽ posse existimat. Satis enim vel eo solo peccavimus, Belgæ, quòd vivimus, & vivẽdo morã bilemq; effœto ac moribundo leoni, cui ipsi jam anni morsq; propinqua morositatẽ addunt, commovemus: quòd vastantẽ, perdentẽ, mactantẽ, omniáq; bellis ac seditionibus turbantẽ minùs, quã ipse vellet, impigre omni ope adjuvimus, nec ad extremum post omnia obsequia jugulum porreximus ipsi.

Non est igitur, quòd in promovẽda gloria Dei & procuranda salute publica ideò quisquàm nostrûm, cujuslibet loci atque ordinis, vel fathiscat, vel remissiùs agat, quòd secum mitiùs actũ iri Pontifice & carnificibus istis rerum potientibus, ob hanc patriæ & bonæ causæ vel proditionem vel desertionem existimet: quoniam uno prorsus loco utrisque reputamur Achivi. Nam non esse nos hæreticos, non esse rebelles, non esse Verpis, Turcis, Tartaris ac Saracenis magis consceleratos & impios, quotquot arcas & scrinia, uxores & filias filiósq;, sensus atq; animos hominũ habemus, Belgæ, nunquã ꝑsuadebimus illis, ne si persuaserimus quidẽ. Iam enim tollere nos è numero viventiũ, infráq; mortuos, si queãt, demãdare statuerunt: ut fraudi sit nobis, non quòd in Deũ credidimus, aut quòd Regẽ offendimus, ut

ajunt,

ẽsunt,(neutrũ enim istorũ fecimus:& neutrũ cu
rat impia & perfida, nec minùs in Regis, quã no
strũ sanguine crudelis theomachia) sed q̃ vivi-
mus: q̃ suæ inexplebili crudelitati superstite ad-
huc sanguinis guttã retinemus: q̃ salutẽ nostrã,
post infinitas cædes, libidines, extorsiones, vexa-
tiones, tandẽ læsa fractaq̃ tot cõtumelijs patien
tia nostra, defendere conati sumus, quódq; ipsis
cũ ingenti atq; insolenti insultatione omnia no
stra tam corpora quã fortunas atq; ornamenta
donatione Regis suam esse prędam ac stipendia
emeritę militiæ præmiaque virtutum affirman-
tibus, & proinde jugulũ simul cum patrimonio
porrigere jubentibus, amplius non credidimus.

Hæc autem sunt, Belgæ, (mihi credite) atro-
cissima, scilicet, ac ter quaterque maxima illa cri
mina vestra, Priami cur evertere gentem imme
ritam visum Hiberis nostris: non seditionis, mi-
nùs rebellionis, atque omnium minimè religio-
nis offensæ. Quid enim ista Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ sint discrimina, nescit.

Quare cùm nemini dubiũ aut ignotũ esse pos-
sit, nisi qui & Dei & patrię & Regis & suæ ipsius
animæ hostis esse velit, quam pacis fœderumque
religionẽ ab hoc hominũ genere exspectare de-
beamus, quibus hoc ipsum, quòd vivimus, adeò
grave molestumq; est, ut omnẽ religionis fœde
rumq; mentionẽ, quasi remorã avaritię crudeli-
tatisque suę, extremè oderint: jamjam tẽpus est,

atque ipsa necessitas huc nos adigit, ut positis domi sepultisque omnibus odijs ac simultatib. (si quæ adhuc supersunt) intestinis, collatisque in publicam curam studijs, viribus & consilijs sedulò procuremus ea, quæ veræ pacis nostræ sunt. Dico, veram cum Deo vero veracique pacem queramus, cujus fides, veritas, clementia, & benevolentia erga homines pœnitentiam agentes, & qui fœdus pacemque ipsius eternam vera fide atque observantia amplectuntur, durat in omnem æternitatem.

Vt ergo & hos, & quoslibet alios adversarios submovere, & res nostras tuto posthac loco collocare possimus, sequamur consilia, fidem & signa Dei, magni Imperatoris & Servatoris nostri: & tanti Ducis fiducia subnixi confidentésque, ne formidemus, quicquid tandem, fremendo conjurandoque in Dominũ exercituum, atque Christum ejus, valeant vires hominum: qui quantúlibet robusti ac formidabiles appareant,
Psalm. 2 coram Deo certè, ut vasa testacea fragiles, ut vermes & putredo terrę imbecilles, ut paleę ac stipulæ coram vento leves: denique, ut fumus in turbine ac cæra ad ignem, fugaces dissipabun-
Psal. 68. tur, colliquescent, consumentur & conflagrabũt omnes ira Dei prodeuntis in aciem.

Nam, qui Mosen & Aaronem contra Pharaonis potentiam tutatus est, qui populum suũ Israëliticum, nequicquam indignantibus & in-

genti cum exercitu persequentibus Ægyptijs, ex Ægypto forti manu eduxit, qui eosdem Ægyptios unà cum eorum rege Pharaone in mare rubrum mersit ac delevit: qui eundem populum, quàm diu dicto audiens in fide ac fœdere mansit, per loca deserta & sterilia in terram Chananæam deductum inter tot inimicas prevalidásque gentes per tot annorū secula incolumē prestitit: qui optimum regem Ezechiam ob restitu- 1 Reg. 19
tum divinum cultum eversamque idololatriam ab Assyrijs oppugnatum insigni victoria donavit, & Matathiam, Iudam, Simonem, Ionathanem adversus Antiochi aliorumque violentiam egregiè defendit: ille nec nobis, si imperata fecerimus, in tempore defuturus est.

Denique (si cui ista veteris populi exempla metum & veternum excutere non possunt) qui Ecclesiam Iesu Christi, sub Romana monarchia pressam quidem diu, sed non oppressam, contra infinita obstacula non solùm conservavit, sed tandem tempore ac ductu optimorum Principum Constantini Magni, Theodosij & aliorum, & omnium maximè nostris temporibus in Germania, Helvetia, Suecia, Dania, Polonia, Anglia Gallia, Hollandia, Zelandiaque adversus immensam conspirationum, seditionum, tumultuum bellorumq; molem præter omnem spem humanam miris modis propugnavit & auxit: is & nostros inimicos absque dubio redditurus est

 scabel-

Psal.110 ſcabellũ pedũ Chriſto Imperatori noſtro, ſi pia cõcordia in ipſi' nos albũ ac militiã adſcribem'.

Cæterùm ne illud quidem ſilentio prętereundum, inclyti Belgæ, quod ut fideliter vos moneam, & zelus domus Dei & charitas patrię veſtrique neceſſariò mihi exprimunt: nempe, ut in albũ Chriſti nomina noſtra recipi queant, noſq; pace certa ac perpetua fruamur, non ſolũ comprehendi & apponi illum, ſed & pręponi fœderibus noſtris oportere. Sicuti enim errore perpetuo non pervenitur ad optatam metam, ita nec noſtris pactionibus pacẽ ullam ſperabimus aut fidam aut diuturnam, ſi pacis authorẽ & bellorũ potentem moderatorẽ pacificatione noſtra excluſerimus. Atque ideò nec bella nobis feliciter cedent adverſus juratos Dei & patrię hoſtes, ſi & ipſi vel adverſarij profeſſi, vel non fœderati confeſſi, vel etiam ſimulatæ ancipitiſq; fidei amici eſſe perrexerimus. Et quia ſuperiorib. annis ſola ejus ope ſuperbo latronum jugo ſoluti, adeò non grati in ſalutis noſtrę paciſque authorẽ fuimus, ut eum fœdere poſteà cum ijſdẽ hoſtib. inſto excluſerimus, & antiquum Belialẽ malorum omniũ certiſſimã nobis cauſam incluſum fœderi, in contumeliã Dei vivi ac veri, confirmaverimus: apertè dico, vel corrigendũ eſſe nobis hunc tantũ errorẽ nunc, Belgæ, vel nõ ſperanda, irato nobis Deo, meliora, quã experti ſumus hactenus, afflictæ patriæ tempora. Aut enim nõ erit in ma

nu Dei

nũ Dei potens præsensque vindicta contumeliæ suę: aut, nisi nos injuriarum tantarum in tam sublimẽ Majestatẽ finem fecerimus, ad exigendas pertinacissimę rebellionis à nobis pœnas expeditos, jamque in altũ sublatos terribiles Domini scorpiones esse, planè dubitandum non erit. Cæterùm, ut hunc tantũ errorẽ illorum potiùs, qui cum dignitate publicũ ordinẽ tunc ducebãt, culpę cõmissum fateor, quã vestra, Belgæ, quos ad eundẽ gradum honoris melior spes gerẽdę Reipublicę & spectata in patriã fides evexit: ita corrigendum eum vobis affirmo, ut & tueri locum & satisfacere muneri suscepto, & respondere patrię de vobis exspectationi cum laude possitis.

Nisi enim Deo propicio utamur, utcunque nos munire fœderibus & amicitijs externis satagerimus, & nidum nostrum vel intra altissimas montiũ rupes collocaverimus: nõ erit tamẽ pax impijs, & inveniet ille nobis hostes, feras & volucres, quę eversum effractumq; petris illidãt unà cum pullis, quãlibet excelsum nidũ nostrum. Armabit ille in nos cælorũ suorũ invictũ exercitũ, & terrã & flãmas & flumina & gladios nostros, quib. ad effundendũ sanguinẽ innocuum impiè sceleratèq; abusi sumus. Nõ deerunt illi Assyrij, Chaldęi, aut, si malumus, Hispani, qui nõ minus libẽter nostrũ bibent, quã nos martyrũ sanguinẽ innocentẽ bibimus: tãdẽq; nos bellis, seditionibus aliisq; malis fractos experimẽto ingẽtiũ cala- Esa. 30. Abdia.

mitatum (quia his, ut forte minoribus, cauti esse noluimus) docebit impiis pactionibus, seu factionibus verius, non evitari sed invitari atque irritari iram suam, bella, seditiones & pericula. Quasque nos ipso excluso pacis ac tranquillitatis rationes inibimus, & perfugij sedes atque arces tutissimas fabricabimus, eas ille in laqueos, foveas & præcipitia convertet nobis: dissipabitque consilia & conturbabit rationes nostras: ut ibi corruamus, mergamur ac pereamus, ubi salutis fallacem anchoram fixeramus.

Et hic quidem clamant, nósque periculi nostri admonent, cùm profanæ, tum sacrę historię, quàm periculosum exitiosumque sit, permittere se fidei hostium reconciliatorum. Nam, ut Ethnicas historias omittam, ut non referam quid Saulum, quid Achabum, Achazum, Ezechiam reges perdiderit, una Pharaonis historia satis ostendit, nullis religionis, legum, jurisiurãdi ac foederũ vinculis, nullis ostentis & prodigijs, nulla Dei bonitate, clementia atque commonitione teneri tyrannos posse, ubi semel decreverint perdere populũ, quin vel cum contemtu sui periculi, cœco furore in prosequendo instituto semetipsos supplantent ac pręcipitent. Idem quoque abundè probat illustris Machabæorum ducum historia, qui si, ut in vindicãda patriæ & religionis libertate strennui promtiq́ȝ, & paternæ virtutis ac zeli æmuli fuêre, ita & constantię pru

dentiæ.

dentiæque imitatores fuissent, & cavere sibi ab hostium suorum insidiosis pactionibus didicissent, meliùs & vitæ suæ & exercitus patriæque saluti consuluissent. Quæ exempla utinam nobis Belgis in extrema hac rerum nostrarum necessitate ac periculo, ubi peccare ac falli ne semel quidem licet, magis sint familiaria & ad manum, præsertim adversus hoc hominum genus, quibus Machiavellica illa consilia, de quibus suprà dictum, implent utramque paginam, quiq; se non modò non regnare, sed nec vivere quidẽ, nisi nobis sublatis, posse putant.

Cùm ergo furor sit amentiáque mera, non consilium aut prudentia, excludere pactionibus nostris eum, qui nos ęterno suo fœdere exclusos includere in manus sævissimorum hostium nostrorũ, ac sempiternos cruciatus potest, & jam ad hoc judicium consedit: capiamus consilium ex tẽpore, non sine ipso, sed cum ipso, & ab ipso: & fœderi nostro illũ apponamus, vel potiùs præponamus: quinimmò in illius æternũ fœdus facta pace recipi velimus. Illud autẽ si fecerimus, ducémque tam fidum fortémque ad omnia imperata promtè sequentes, minas ac terrores hostium, pericula damnáque privata voluntati ac moderationi ipsius commiserimus ac submiserimus, tunc & bona terræ nostræ comedemus, & pace atque concordia cum hominibus quidem pia & Christiana, cum Deo autem certa perpetuaque

tuaque fruemur: & (si qui consurgere in nos ausi fuerint) ad propulsandos pacis nostræ pertinacissimos adversarios, neque consilio, neque animis, neque viribus, sub tanti Imperatoris vexillis, unquam destituemur.

Aderit enim nobis imperata facientibus ipse Deus Dux & Imperator exercituum nostrorum, nósq; cōsilio & sapientia reget, animis viribúsq; in hostē armabit, & ab insidijs fraudibúsq; tuebitur invictos. Et ex adverso dissipabit consilia dolósque, franget vires atque animos, turbabit frontes obscœnas & impudicas immanissimorū hostium nostrorum, ipsósque cum toto exercitu & universa illa proditorum & venalium nebulonum ac fugitivorum caterva & clientela, non vano nec panico, sed vero ac cœlesti pavore consternatos dabit in fugam ac disperdet.

Ad quam quidē fiduciam non mediocre nobis calcar addere debent mirifica Dei in Hollandos ac Zelandos edita nuperrimè tutelæ, salutis ac liberationis beneficia. Quam gentē ut olim bellicosam ac strennuā, sic lōga jam pace ac negociationū usu residē desidéq; cùm hodie, quasi imbellē tantum non contēneremus: ita tamē fortiter defensam divinitùs modò vidimus, ut illustre ac sempiternum divinæ protectionis, neque minùs, quàm olim Israëlitarum ac Machabæorū fuit, nobile testimonium curæ, veritatis, fidei, favoris auxilijque cœlestis ad pòsteros esse possint.

Nam

Nam cùm ab hisce ijsdē Hispanis, ut scitis (quibus cum & Italorum & Allobrogum & Germanorum, & nostræ quoque cohortes erant) tanto cum apparatu, quantum nunquá viderat Hollandia, & cui ipsa ferè tellus dehiscebat, summis viribus maximaque contentione oppugnarétur: & à nobis nō solùm nō levaréturuæ, ut par erat à fratribus ac vicinis in tali periculo, quod nō poterat non in nosipsos redundare: sed gravib. insuper incommodis afficerétur: adeò non caruére ducibus, animis, viribus & consilio, ut fideli ductu, fortitudine ac prudentia inclyti Principis Aurantij ac sociorum subnixi, superbos acerbissimi hostis spiritus viresque contuderint fregerintque, & se in libertaté vindicaverint, & terrorem nominis sui per multas prȩclarasque victorias navales ad vicinos hostes suos longè latéq; circumtulerint. Adeò, videlicet, beatus est ille populus, qui Dominum illum exercituum Imperatoré pro Deo habet, & quem sibi ille in hæreditatem elegerit. Res auté fallax equus ad salutem, & exercitus quamlibet terribilis ac numerosus ad victoriam. Evertit enim ac dissipat Dominus consilia gentium, & irritos reddit principum ac populorum conatus. Et rectè habet illud Psalmi: Tu ipse Rex meus es, ô Deus: dispone tu salutem Iacobo. Per te enim hostes nostros succutiemus: per nomen tuum conculcabimus adversarios nostros.

Psal. 33.

Psal. 44

Neque

Neque enim ſperabo in arcu meo, neque gladius meus conſervabit me. Tu autem ſervas nos adverſus omnes adverſarios noſtros, & pudefacis eos, qui nos oderunt, &c. Quibus optimè conſonant ipſæ promiſſiones divinę per manũ Moſis populo Dei factæ, ſi in fide maneret. Efficiet (inquit Deus ipſe) Dominus, ut hoſtes tui, qui adverſum te inſurgent, ante te corruant. Per iter unũ egredientur cõtra te, & per ſeptẽ vias fugiẽt coram te. Eriget te Dominus ſibi in populũ ſanctũ, ſicut juravit tibi, ſiquidẽ pręcepta ejus ſervaveris, & in vijs Dei tui inceſſeris. Tunc demum omnes populi terræ videbunt, nomen Domini ſuper te invocatum eſſe, timebuntque ſibi à te. Ponet te Dominus in caput, & non in caudam: eriſque tantùm ſuperior, nec unquàm inferior: ſi modò audieris præcepta Domini Dei tui, quæ ego tibi pręcipio hodię, ut cuſtodias ac facias ea. Non deflectes à cunctis ſermonibus, quos ego præcipio tibi hodie, neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, ut ſequaris deos alienos, eóſque colas, &c.

Deut. 28

Hæc ſunt ſanè inſignia illa liberationis beneficia, quę nos, aut animis concidere, aut ſegniter agere non patiuntur, ſed ad colendum Deum noſtrum alacriter properantes bono eſſe animo, & ſpectare ductum ac vexilla Servatoris noſtri Dei, non reſpectare ad minas offenſaſque impiorum hominum jubent. Hujus enim fidelem

militiam

militiam profeſsis, & univerſam fidei panopliā myſticam indutis, primò per quælibet impedimenta ſpiritualium remorarum & nequitiarum perrumpere in patentem, liberum & amœnum pietatis campum, atque inde & hominum & dæmoniorum tam vanas minas, quàm injuſtas offenſas contemnere licebit. Ephes. 6

Quamobrem, ne diutiùs vos teneam, Belgæ, appellandi, interpellandi, atque adeò, ſi queam, impellendi mihi iterum ac ſæpius eſtis, citra exceptionem omnes, & per veſtram omnium ſalutem, per ſacroſanctum nomen Magni Dei & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti rogandi atque obteſtandi, ut, quam expoſitam oblatámque vobis hodie videris, ſalutis ac beatitudinis occaſionem ac viam, eam ſeriò gratiſque animis amplecti, premere atque retinere velitis. Et quoniam ne conſcientiæ quidem noſtræ, nedum Dei, qui major eſt cōſcientia, judicio negare poſſumus, quin & impio verbi divini contemtu, cum inſana ac deteſtanda ſimulachrorum veneratione & horrenda ſanguinis innoxij profuſione ad juſtiſſimā vindictam Deum omnipotentē hactenus provocaverimus, cujus veram ſeveritatem, niſi vera pœnitētia & fide, declinare minimè poſſumus; poſita tandem infeliciſſima miſerrimaque peccandi libidine ac pertinacia, cum vera graviſſimorum peccatorum agnitione, atque ægritudine animorum, firmáq; in Chriſtum fide, Deo

Omnipotenti omnem justiciæ & veritatis laudem tribuẽdo, eorum omnium ab ipso per Christum misericordiam veniamque suppliciter imploremus. Ne committamus, dum vel purgare ac defendere tam atrocia peccata, vel elevare eorum magnitudiné contendimus, atq; hoc modo usitatas in majestatẽ illius & verbi veritatẽ blasphemias evomere non desinimus, ut, cujus salutares admonitiones & consilia verasque minas stolidè contemsimus, ejus potentem manum, flagella, & vires terribiles nostris in pœnis ac miserijs extremis seriò experiri cogamur. Non enim vel causa vincemus in judicio, vel viribus superabimus in conflictu, vel evitabimus dolis in fuga, veridicum os, justiciam, potentiam sapientiamque tanti judicis, bellatoris ac vindicis. Et licet ad oppugnandum illum, adque propugnandam malam causam nostram, omnes sophistarum gryphos, omnemque mundi potentiam advocemus: res tamen ipsa docebit, & stipulam esse, & paleas atq; quisquilias ad flatum oris divini universam ostentationẽ artiũ viriũq; humanarum. Et nihilo feliciores contra Deum ejusq; unctos expeditiones nostræ futuræ sunt, quàm Senacheribi, Olofernis, Antiochi, Iuliani, Licinij, Maxentij, & similium hostium Ecclesiæ Dei fuêre: dabimúsque tandem victi, & ad extremum consumti cum Iuliano Imperatore etiã frementes & convitiantes victoriæ laudem vi-

ctori nostro: Vicisti Galilęe. Adeò vincere ac triumphare illum necesse est, qui & omnipotens, & campi & armorum & exercituum Dominus est. Neque rursum desipiamus aut insaniamus usque adeò, ut amore vęsano misselli hujusce cor pusculi, quod, utcunque superbiat modò, tamen exanime mox cadaver, ac putris esca vermium futurum est: & studio vitę tam brevis ac fragilis, quę ut maximè integrum curriculũ temporis sui decurrat, nihile tamen casibus obnoxia est: &, si quas habet voluptates, non sine plurimo felle, frui eis potest: gloriam Dei nostri, ac sempiternã & omnibus exemtam casibus, plenamque veris voluptatibus vitam projiciendam nobis existimemus. Aperiamus & oculos & aures, ac videamus mirifica divinę tum clementię tum potentiæ opera: audiamus sonantem orbi tubam cœlestem: Venite & videte opera Domini. Excite- Psal. 48
mus & explicemus lumẽ ingenij mentisque nostræ, & suspicientes in cœlum, ubi gloriam Dei Psal. 19.
videmus celebrari, cogitemus non solem, non lunam tam crebris defectibus, non aëra, non cœlos ipsos tam assidua tristicia, non terram tot motibus, neque maria fluminaque tam crebris in terram inundationibus ac minis frustrà nobis contemtę majestatis supremę ergò, Creatoris sui irã tristésque pœnas denunciare. Et cùm sciamus, non abs re totiens veluti manu divina terribili specie virgas flammeas in cœlo ad horrorẽ vi-

ſentium protendi nobis in approbationem do-
Luca 11. ctrinæ cœleſtis, quæ talia ſigna iræ divinę vel ad
ſalutem obſervare: vel, ſi nullis omninò documentis cedere cōtumaces volumus, aſpicere pręſentem vindictam, & ſimul perire nos jubet: credamus, aut hoc ipſum eſſe, aut nullum aliud ſalutis tempus. Meminerimus hodie nobis duas has diverſiſſimas, alteram ſalutis, alteram exitij ſempiterni, propoſitas eſſe vias.

Quòd ſi optionem vitæ hodie ſpreverimus, & judicij divini ſeveritatem exſpectandam nobis pervicaciter atque contemtim putaverimus, certò ſtatuamus, ſicut veritas oris Dei (cui nec anni nec angeli præſcribunt) quávis longiſſima præſcriptione temporis non deficit neque intermoritur, ita ruituram potiús univerſam hanc cœli terręque machinam, quàm irritas fore minas
Deut. 28 & plagas ejus, quas per Moſem, per prophetas,
Mat. 24 per apoſtolos, perque Chriſtum ipſum unigeni-
&c. tum ſuum ingrato, impio & rebelli populo ſuo
tantò antè denunciavit.

Neque eſt profectò (ſiquidem meminimus, nos ipſum illū oleaſtrū eſſe, qui, ſicuti gratia Dei inſitus eſt oleæ, à qua quondam nativi rami defracti fuêre, ita & ipſe defringi faciliùs, ut alienus, poterit) quòd aut majorē nobis, quàm Iſraëlitis ipſis & alijs populis cōtigit olim, impunitatē polliceamur, aut Deum poſthac minùs veracem ac ſeverum mundi judicem noſtra cauſa futu-

rum imaginemur, quàm vel prisco mundo, vel Sodomæ Gomorrææque, vel etiam Israëlitis, atque ipsis adeò angelis olim suis fuisse legitur. Cùm enim non pars tantū aliqua veritatis, sed ipsa veritas Dei tota indivisa duret in æternū, nec minùs reverenda tremendaque sint judicia divina, quàm amandæ atque amplectendæ promissiones, necessarium est, ut, quemadmodū benignitatis ejus atque clementiæ erga cultores suos eósque, qui ab errore in viam redeunt, constans, certa perpetuáque voluntas est, sic & judicium horribile vere paratum sit impijs & contumacibus. Redeamus ergo & nos ad sanitatem: & quod honorificum Deo Dominóque nostro Iesu Christo, ac salutare Ecclesiæ Dei, & felix faustumque patriæ nobisque universis sit, agendo veram pœnitētiam exemplo verę Ecclesiæ, sentire ac percipere immensæ bonitatis Dei ac misericordiæ paternæ dulcissimam veritatem atque constantiam, quàm obstinata peccandi libidine, & æmulatione impiæ synagogæ terribilem comminationum & judicij divini & supplicij sempiterni potentiam ac severitatem exspectare atque experiri malimus.

Ipse interim Deus verè Opt. Max. Pater unigeniti & coæterni Filij sui & magni unicique Servatoris nostri Iesu Christi, qui post tantam cladium Belgicarum tempestatem jam tandem salutiferæ, & nō dubię gratię pacisque suę vultu

 sereno

ſereno vos reſpicere dignatus eſt, patefactis penè in ipſo opprimendæ patriæ extremo diſcrimine atque articulo conſilijs, monſtratis inſidijs, illuſa ſpe, fractis viribus, pulſiſque è ſinu veſtro præſidijs pernicioſiſsimarum viperarum & proditorum veſtrorum, det vobis de gloria ſua & publica ſalute conſultantibus ac dimicantibus Spiritum ſuum Sanctum, Spirítum ſapientiæ & conſilij verìtatis ac timoris ſui, fortitudinis & conſtantiiæ, ut omnibus viribus atque conſilijs in unam ipſius gloriam ac ſalutem publicam connixi intentique, victis, fuſis fugatiſque ſævis atque impijs tam Dei, quàm patriæ hoſtibus, optatum vobis, & honorificum Deo Servatori Patrioque trophæum erigatis, ac lætum dignumque Chriſto triumphum celebretis.



EZECH. XXIII.

Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem impij: ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à vijs veſtris malis: cur enim moreremini domus Iſraelis?

Errata typographica facilè corriges lector.

ILle diu felix populus, longáque beatus — *Baleus.*
Pace propè innumeras quì cumulârat opes:
Infelix, heu, Belga ruens civilibus armis
Ipse suum proprio confodit ense latus.
Dic, age, quę misero tam cœci causa furoris? — *Viator.*
Viscera quid rabido devorat ore sua?
Accipe, quā quęris, causam crimenque malorū: — *Baleus.*
Nempe suum vęcors temserat ille Deum:
Vanáque præcipiti cumulârat numina fastu:
Inque Deum stolida verterat arma manu.
Innumeros ferro, flammis, undisque prophetas
Merserat, inque cruces egerat, inque rotas.
Quid mirum est igitur, sævus, furiosus & excors — *Viator.*
Si perit ense Dei, qui petit ense Deum?
Quid mirū est, nostrū, Tellus Cœlumq; Fretūq; — *Baleus.*
In nos si cupiant exonerasse nefas?
Si simul in nostros arment se cuncta dolores,
Quorum cuncta dolent contemerata lue.
Sed quę tantorum miseris medicina dolorum? — *Viator.*
Ede, precor, fidus num quis erit medicus?
En tibi: Certa dolor pressis medecina dolorū est — *Baleus.*
Sanctáque Christicola cum Metanœa fide.
Certus & hic medicus, fecit qui vulnera Belgis:
Ipse dabit certa pharmaca certa manu.
Mira quidem, sed vera refers: clementia summi — *Viator.*
Summa Patris natos carpit amatque suos.
Ergo, age, cede Deo, scelerū & cruciare dolore: — *Baleus.*
Cede Deo, & Christum suscipe, crede Deo,
Quì tua salvifica purgabit vulnera lympha,
Inque tuos hostes læta trophęa dabit.

EXCVSA IRENOPOLI,

Anno ſalutis CIↃ. IↃ. LXXVIII.
menſe Iunio, gratia & privilegio Summi
Pontificis & Regis Catholici.

